


De convenientia,

quae inter utrumque

gratiae instrumentum, verbum Dei et sacramentum,

intercedat,

Commentatio dogmatico-theologica.

Scripsit

Lic. theol. Carolus Sudhoff,

verbi divini minister.



Ea demum est miserabilis animae servitus, signa pro rebus accipere et supra creaturam corpoream oculum mentis ad hauriendum aeternum lumen levare non posse.

Augustinus de doct. christ. III, 5.

Addita est christianorum Aquisgranensium reformatorum confessio de Coena Domini conventui Wormatiensi anno 1559 proposita et nunc secundum msr. bipont. edita.

Crucenaci,
Sumptibus Roberti Voigtlaender.
1852.

Typis Ludovici Adolphi Pütz.

Quaestio de convenientiae ratione inter sacramentum et verbum divinum intercedente videtur pertractata atque soluta, si ex doctrinae evangelicae fontibus proposuero et demonstravero, quomodo et in effectibus et in operandi ratione utrumque gratiae instrumentum vel conveniat, vel differat. Disputationis igitur nostrae partes sunt duae. Quarum prior agit de operationibus verbi et sacramenti; in altera disserendum est de ratione, qua et verbum et sacramenta operari soleant. His rite pertractatis additaque unius medii divinae gratiae cum altero comparatione proposito nostro, de quo saepe in contrarias partes est disputatum, non solum satisfecerimus sed et simul elucebit, quomodo sese adjuvent verbum et sacramentum, cum fungantur officio quod iis est per voluntatem Dei benevolam.

CAPUT I.

De verbi divini et sacramenti effectibus.

Cum jure negari non possit per novum Dei foedus nullam aliam nobis offerri gratiam praeter *Christum pro mundi redemtione oblatum* atque Paulus apostolus *Christum crucifixum* non in uno tantum loco summum bonum esse praedicet,

praeter quod aliud nec quaerendum nec necessarium sit, id quoque manifestum est, gratiae instrumenta nobis aliud bonum nec exhibere nec obsignare posse. Gaudet igitur utrumque medium gratiae divina institutione ad eum finem, ut homines in sacrificio Christi in cruce peracto tanquam in unico salutis nostrae fundamento beatificentur. Propter hanc universalem convenientiam, quae in origine et fine sacramenti ac verbi posita est, jam in limine disquisitionis nostrae rejiciendum nobis est commentum Romanensium aliorumque, qui singularia quaedam sacramentorum sibi fingunt dona, quae per verbum dari negant. Nihil enim verius est, quam evangelica sententia, idola sibi fabricare ex sacramentis omnes, qui aliud in sacramentis quaerunt, quam quod in verbo est promissum. Hanc veritatem probare studeo ita, ut non solum praeclarum illud Calvini *) dictum, eodem gradu locanda esse sacramenta quo verbum, evincam, sed etiam ex communi utriusque medii origine et fine singulas quoque convenientiae inter utrumque intercedentis notas producam.

Nemo est qui primo intuitu non videat, sacramentum cum verbo in ea re convenire, quod per utrumque instrumentum Deus nobiscum agit, et quod in utroque Christus ipse res significatas exhibet. Ipse enim dominus dicit: accipite Spiritum sanctum (Ioa. 20, 27); ipse praedicat: panis, quem ego dabo, est caro mea (Ioa. 6, 51). Eandem veritatem docent

*) Inst. IV, 14. 14. „Fallitur, qui plus aliquid per sacramenta sibi conferri putat, quam quod verbo Dei oblatum vera fide percipiat. cf. 16. 17.

Ioannis baptistae verba: »ego baptizo vos aqua; ipse vero baptizabit vos spiritu sancto et igni.« (Matt. 3, 11.) Ne tamen tertiam sanctae trinitatis divinae silentio praetereamus personam, hoc loco jam dicendum, quod infra probabo, in eo etiam perspici communem utriusque instrumenti originem divinam, quod Spiritus sanctus non minus sacramento quam verbo utitur, tanquam organis suis, ut salutem in hominum cordibus aut incipiat, aut augeat, aut perficiat.

Clarior adhuc apparebit sacramenti et verbi convenientia, si, relicta communis originis contemplatione, communem finem ita exploramus, ut quaeramus, quae singula Christi crucifixi dona utrique instrumento sint tribuenda vel, ut aliis utar verbis, quae sint res a Deo nostro misericorde tam per verbum quam per sacramentum nobis oblatae.

Itaque primo loco videamus, quid nobis secundum scripturas repraesentent et confirment sacramenta, quibus certe Dominus non ut nudo spectaculo pascit oculos, sed in rem praesentem nos adducit et, quod figurat, efficaciter implet. Cui disquisitioni addamus deinde eam de donis a verbo divino exhibitis.

Baptismus, qui non simpliciter est aqua, sed aqua verbo Dei comprehensa et sanctificata, est lavacrum, quod fidelibus repraesentat et confirmat lavacrum internum, ita ut Dominus hoc sacramento symbolum et sigillum proponat, quo credentes doceantur et certiores fiant, se sanguine et Spiritu Christi ab omnibus lavari peccatis tanquam animae sordibus. Est igitur baptismus fidelibus instar cujusdam diplomatis, quo confirmetur, peccata omnia sic deleta, obliterata esse, ut in con-

spectum Dei nunquam veniant, nunquam imputentur. Talem effectum docent omnes illi sacri codicis loci, qui volunt, omnes qui crediderint baptizari in peccatorum remissionem. (Marc. 16, 16. Act. 2, 38. 22, 16.) In eodem sensu accipiendum est quod scribitur ad Colossenses (2, 11. 12): »in quo (sc. Christo) etiam circumcisi estis circumcisione quae fit sine manibus, exuendo corpus peccatorum carnis per circumcisionem Christi: ei consepulti per baptismum.« Idem laudat Paulus docens, ecclesiam esse mundatam lavacro aquae in verbo vitae per sponsum Christum (Eph. 5, 26.); idem Petrus celeberrimo illo epistolae prioris loco (3, 21), quo salvantis baptismi naturam exponit, dicens, »baptismum eum nos servare, quo non carnis tantum sordes abjiciuntur, sed qui est stipulatio bonae conscientiae apud Deum.« Totam veritatem tamen non assecutus esset, qui alium finem baptismo tribuere nollet, nisi eum, ut per mundandi abluendique similitudinem absolutio peccatorum per aspersionem sanguinis Christi obsignetur. Non minoris enim momenti est alter fructus, quem propterea baptismo tribuere debemus, quod novam fidelium in Christo vitam repraesentat et confirmat. Ut fideles in mortem Christi, in remissionem peccatorum, baptizati sunt, ita resurrectionis quoque et gloriae Salvatoris participes fiunt, ut in nova ambulent vita. Qui in Christum credunt, non solum fructum immersionis in mortem redemptoris, in remissione peccatorum et carnis mortificatione, sed eo ipso actu etiam resurrectionis vim in vivificatione Spiritus percipiunt. Cujus doctrinae luculenta in sacra scriptura reperiuntur testimonia. Nam per baptismi sacramentum mortui sumus peccato, ut justitiae vivamus (Col. 2, 12), exui-

mus veterem hominem et renovamur (Tit. 3, 5). Totius autem de baptismo doctrinae velut indicem, summam καὶ κάνονα esse puto locum illum classicum epistolae ad Romanos (6, 3—5), qui disertis verbis docet, baptizatos nos esse in mortem Christi, ut, sicuti suscitatus est Christus ex mortuis in gloriam Patris, ita et nos in nova vita ambulemus. Nam si cum eo plantati coaluimus assimilatione mortis ejus, nimirum etiam resurrectionis assimilatione cum eo coalescemus.

Iam Christus non solum initii adoptionis et renovationis symbolum et sigillum nobis porrigit. Nam ut bonus et fidelis paterfamilias est, ita omnes partes divini muneris sui implet. In familiam suam receptos quotidie sollicitus est alere et per totum vitae cursum tueri. Quam ab causam alterum mysterium *), sacrae Coenae sacramentum, ecclesiae suae dedit secundum magnam misericordiam suam. Ipse enim est fons vitae perennis, aqua viva, et quisquis ex illa biberit, non sitiet in aeternum (Io. 4). Christus crucifixus pro vita mundi est panis vitae novae et aeternae. Si quis ex hoc pane ederit, vivet per vitam Christi (Io. 6). Duo autem in primis sunt dona, quibus in epulo spirituali sacramenti Coenae pascimur, ut in baptismo quoque duas praesertim laudavimus gratias. Panis et vinum, ut signa sunt sejuncta ac juxta posita, sanguinem qui e corpore profluxit, Christum mortuum nobis repraesentant, et hoc modo in Coena vescentibus exhibent Do-

---

*) Cf. quae Rotheus docte et acute de sacramentis ut mysteriis christianis exponit in libro: Theologische Ethik II, p. 457—459.

minum vitae pro peccatoribus occisum. Quotidie igitur christiani sacramento corporis et sanguinis Christi confirmari possunt se remissionem habere peccatorum, participes se esse Christi crucifixi. Hoc autem vitae aeternae beneficio cum Christo ipso copulamur, qui non solum mortuus est pro nobis sed etiam resurrexit et ad Dextram sedet Patris omni gloria indutus. Tali igitur conjunctione Christus ipse, regno praeditus nullis locorum spatiis limitato, animorum fit alimentum novae vitae ac resurrectionis corporis glorificati eodem spirituali modo, quo corpus terrenum externo alitur pane et restauratur vino. Magnum certe mysterium est et incomprehensibile, sed beatissimum simul et certissimum. Si quis quaerat, quomodo fieri possit, ut in sacra Coena vita spiritualis, quae nobis datur, non in eo duntaxat sita sit, quod spiritu tantum Christi vivificemur, sed toto Christo vivo, glorificato pascamur ita, ut humanae naturae suae participes fiamus — respondeo cum Calvino, sancto, maximo doctore, me tantum mysterium ne animo quidem comprehendere, et libenter ideo fateor, ne quis ejus sublimitatem infantiae meae modulo metiatur. Sed quamvis rei magnitudine animus et lingua obruantur vincanturque, est tamen nobis pars quaedam veritatis cognita, ita ut sciamus in veritate nos esse. Rejicimus propterea hyperbolicas mixturas transsubstantiationis, ubiquitatis et localis praesentiae, non quidem ut incomprehensibiles et mysteriosas, sed ut absurdas, spirituali religionis christianae ingenio contrarias, cum sacra scriptura et cum vera Christi humana natura pugnantes. Corpus Domini quamvis glorificatum et personae Verbi divini arctissime unitum est tamen corpus verum ac omnibus veri corporis humani do-

tibus essentialibus praeditum. Propterea Formulae Concordiae id minime concedere possumus »quod Christus corpore suo praesens esse possit, ubicunque voluerit, quia jam, postquam in coelos ascendit, omnia revera implet et ubique, non tantum ut Deus, verum etiam ut homo praesens dominatur.« *) Nihilominus non Spiritu tantum in Coena adest Christus, sed *totus,* quo fit, ut corpore quoque suo glorificato alamur. Omni jure Lutheranos admonet Zanchius: aliud est quod *totus Christus* sit ubique et in coelo simul et in terra, aliud quod sit *totum,* id est secundum utramque naturam, in coelo itidem simul et in terra. Primum verum est, alterum falsum **) Quum enim Christus omnem habeat potestatem in coelo et in terra (Matth. 28, 18), non video, quid impedire possit, quominus Salvator noster virtutem suam, ubicunque placuerit, in coelo et in terra exserat, quin se praesentem *potentia* ac *virtute* exhibeat, quin totus suis semper adsit et in iis vivat. Neque obstat locorum distantia, ne ad nos usque perveniat carnis Christi virtus ac essentia. Nam utcunque nos in hac mortalitate peregrinantes in eodem loco cum ipso non includimur aut continemur, nullis tamen finibus limitata est ejus spiritus efficacia, quin vere copulare et in unum colligere possit, quae locorum

---

*) p. 787 et 768. Rechb. ed. Inter cautioris Chemnizii doctrinam de ubiquitate, quam Formula concordiae adoptavit, et illam a Brentio inventam, quam Heidelbergenses tam feliciter Oleviano et Ursino ducibus impugnarunt, formale tantum, non reale discrimen est. Cujus vero theoriae quam incertum sit fundamentum unio personalis, Lutheranus ipse Thomasius docet. Cf. Das Bekenntn. d. luth. K. p. 210—212.

**) Zanchii opp. VIII, pag. 585. Conf. Damasc. lib. 3. cap. 7. pag. 70.

spatiis sunt disjuncta.*) Christus, licet locum non mutet, sua ad nos virtute descendit, ut nos essentialiter corpore suo vivificet. Non secus ac vitali solis calore per radios vegetamur, ita vivifica nobis est caro Christi, »quia ex ejus substantia vita in animas nostras profluit.« **) Localiter igitur corpus Christi ad nos minime venit, quod Lutherus sustinuit, Zwinglius negavit — neuter enim aliam praesentiae corporis notionem habuit — sed realiter, essentialiter, virtualiter, qua ratione impletur in nobis, quod docet apostolus, cum nos carnem de Christi carne et ossa de ossibus ejus esse asserit. (Eph. 5, 29. 30.)

Quibus rebus leviter tantum attactis — cum de iis uberius dicere hoc loco meum esse non possit — ad alterum gratiae instrumentum jam transeamus considerandum. Mirabilia sane et supra omnem intellectum nostrum sunt sacramenti dona, sed haud minora nobis conferuntur per verbum divinum, quod est alterum divinae misericordiae instrumentum. Quin etiam eaedem sunt verbi ac sacramenti gratiae. Nihil enim in thesauro Chritsi est, quod verbum Dei non promittat, non exhibeat vel dare possit. Tota scriptura testimonium est, quod verbo nobis detur remissio peccatorum. Deinde quam luculentissima nobis proponuntur documenta in apostolorum verbis, nulla via nos certius ad vitae renovationem, ad regenerationem duci quam hoc altero gratiae medio. Nonne laudat Iacobus (1, 18): »Is quia voluit progenuit nos *sermone veritatis*, ut essemus primitiae quaedam eorum, quae creavit.«

---

*) Calvini Confessio fidei de Euch. ap. Henry. Leb. Calv. I. Beil. 5.

**) Calv. defens. II. contra Westph. p. 55 et 82.

Et quis ex priore Petri epistola (1, 23. 25) non disceret, christianos renatos esse non quidem ex semine corruptibili, sed incorruptibili, id est, per Dei vivi et manentis in aeternum *sermonem*, qui non aliud est, quam verbum illud quod evangelizatum est. Eidem doctrinae assentitur Paulus his verbis sanctis: »Nam etsi decem millia paedagogorum habe»atis in Christo, at non multos patres habetis: in Christo »enim Iesu *per evangelium vos genui.*« (1 Cor. 4, 15.) Alio autem loco (Rom. 15, 16) idem apostolus scribit, se apud gentes ministerio Iesu Christi fungi et evangelio Dei operari, ut oblatio gentium accipiatur, sanctificata per Spiritum sanctum. Tribuit igitur verbo divino praedicato sanctificationem gentium eodem omnino modo, quo Christus ipse suorum sanctificationem per sermonem divinum a Patre petiit oratione illa suprema: »sanctifica eos tua veritate, *sermo ille tuus* veritas est.« (Io. 17, 17). Quin imo verbum divinum est aqua viva aeternae salutis, est panis aeternae beatitudinis, cum extra omne dubium sit positum, evangelium Christi esse potentiam Dei ad salutem cuivis credenti, Iudaeo primum tum etiam Graeco. (Rom. 1, 16.) Denique ut nihil desit verbo divino, quo Deus noster miseros nos homines beare vult, aptum etiam est ad coelestem illam fidelium cum toto Christo vivo exhibendam et obsignandam *κοινωνίαν*, cujus sacrae Coenae sacramentum est symbolum ac sigillum. Dominus enim ipse gratiae et veritatis ad eos quoque venire disertis verbis promittit, qui verbum suum credunt et observant. »Si quis, inquit, diligit me, sermonem meum observabit, et Pater meus diliget eum et ad eum veniemus et apud eum habitabimus.« (Io. 14, 23). Caput

sextum evangelii secundum Ioannem, ex quo luce clarius demonstrari posset, in verbum Christi credentem participem quoque fieri carnis Christi vivificantis, hoc loco praeterire placet, quia longum est nostroque muneri parum convenit, adversarios hic refellere, qui aliam sibi fingunt exegesin. Neminem vero sincerum fugere potest, Apocalypsin firmissimum esse sententiae nostrae fundamentum. Quis adhuc negare vellet, fidelibus per verbum Christi idem coeleste porrigi alimentum, quam socio sacrae coenae convivii? Suis verbis Salvator promittit: »si quis audierit vocem meam et aperuerit ostium, ingrediar ad eum et coenabo cum eo et ipse mecum.« (Apoc. 3, 20.). Iam Lutheranum quendam clamantem audio, in omnibus istis scripturae locis unionem tantum mysticam, non eam vero sacram communicationem carnis et sanguinis Christi doceri, quae exhibetur obsignaturque omnibus, qui ad sanctum Coenae epulum accumbunt. Ne de verbis tantum disputemus, nomen mysticae unionis non rejicio quidem, sed sustineo optimo jure, unionem Christi cum fidelibus sacramenti medio effectam aliam non esse quam hanc unionem mysticam. Ut fidelibus baptismi sacramento non alia obsignatur salus quam verbo, ita Coenae *κοινωνία* cum Christo eadem est ac verbi. Nullo enim loco Scriptura nec duas unionis credentium cum Christo species, nec duas vias vel rationes ad eam communicationem consequendam docet. Quis unquam demonstrare conaretur, unionem ecclesiae cum Christo, de qua in epistola ad Ephesios sermo est, (5, 29. 30), sacramento tantum effici? Rectissime Stierius*) annotat, hoc loco unionem mysticam fide-

*) Die Gemeinde in Christo Iesu II, 374. „Sondern es ist gemeint,

lium cum capite homogeneo exponi, qua ea via, quae spiritualiter in corporationem vergit, nutrimur, fovemur, propagamur ex humanitate quoque gloriosa Christi, carnem et ossa habente. Praeterea nullibi indicatur verbo divino vel minimum discriminis cujusdam signum inter Christi adventum verbi medio et praesentiam illam, qua beatur fidelis sacrae Coenae socius. Idem est Salvator, qui ad discipulos per instrumentum sacramenti venit, et qui ad ostium animae pulsat et ingreditur ad eum qui vocem suam audierit. *Unica* est igitur unio fidelium et *assidua* cum Christo capite, et in hac unione mystica maximum arcanum et mysterium fundamentale beatae Christianorum vitae videndum est. At cum haec sustineo, minime opinor Lutheranorum mysticam unionem eandem esse ac eam a me laudatam. Unio, quae a Lutheri asseclis mystica nominatur, nihil aliud est, quam communicatio spiritus sancti vel divinae tantum Christi naturae; nobis vero est illa communio, qua fideles non soli spiritui sed etiam carni et sanguini Christi communicant, ut totum Christum non spiritualem tantum possideant. Lutheranorum unio mystica est mere psychologica, nostra autem intimam, aeternam hominis essentiam, mentem, animam et corpus penetrat, vivificat, et in vitam aeternam alit. Multa hoc loco de dualismo in doctrinam christianam distinctione illa inter unionem mysticam et sacramentalem, spiritualem et corporalem, introductam dicere et in ad-

---

was die Dogmatiker von Christus als caput homogeneum seines Leibes ein wenig ausdrückten, was dann die Mystiker weiter von der unio mystica lehren, leider auch sie zuweilen fast spiritualistisch."

versariorum caput retundere possemus calumniam nuper a Martensenio*) denuo leviter et injuste prolatam, nos esse dualismi fautores. Attamen mittere haec malo et veritate gaudere, quam magnus Melanchthon noster, postquam naevos lutheranos

*) Praeeunte Lindnero (die Lehre vom Abendmahl nach der Schrift etc. Leipzig, 1831) Martensenius hunc in modum contra Calvini doctrinam disputat: „Calvin's Lehre bewegt sich in einem Dua-„lismus zwischen dem Reich der Gnade und der Natur, zwi-„schen Himmel und Erde, Geist und Leiblichkeit.“ Huic injustae accusationi argumenti instar adjicit: „Auf der Erde geht daher „nichts Anderes vor, als dass Brot und Wein ausgetheilt und ge-„nossen wird; wo es aber im Glauben genossen wird, da geht „gleichzeitig eine Begebenheit im Himmel vor. indem die gläubige „Seele — in den Himmel gerückt wird. Das calvinische Abend-„mahl ist daher in zwei Handlungen gesondert, eine im Himmel „und eine auf der Erde, eine im Geiste und eine in Leiblichkeit.“ Tale autem argumentum plane nullum est, quia nihil aliud in eo cernitur quam vetus illa doctrinae calvinianae a Plankio inventa interpretatio, cujus falsitas evidens erit cuique sequentia Calvini dicta sine partium studio perpendenti. Legimus enim in Instit. IV, 17, 18: „si oculis animisque in coelum evehimur, ut Christum illic in regni sui gloria quaeramus. 36: ut Christum illic rite apprehendant, piae animae in coelum erigantur necesse est. — Expos. p. 766: „ad rem ipsam nemo unquam pertinget, nisi qui ita adjutus a terra in coelum quasi per gradus conscendet.“ — Defens. II: „Sed quia *videtur* obstare locorum distantia, ne ad nos usque perveniat carnis Christi virtus, nodum hunc ita expedio, Christum licet locum non mutet, sua ad nos virtute *descendere.*“ — Ultima Admonitio: „Per coelestem actionem nihil aliud intelligimus nisi quod in mentem cuivis protinus venire debet, spirituale esse mysterium, quod pro natura regni Christi a terrenis actionibus separari debet. — Sacramenta esse scalarum instar fidelibus per quas sursum coelos conscendant.“ Cf. praeterea Defens. II p. 87. — Nihil aliud igitur docet Calvinus, quam sacramenta clamare: „Sursum corda“

emendasset, his verbis exprimit: »Dico igitur plane et firmissima fide, nequaquam inane spectaculum esse coenam Domini, sed vere hanc sumtionem esse testimonium et pignus, quod filius Dei Dominus noster Iesus Christus sit in sumentibus. Nec tantum adest in illa sumtione, sed habitat in iis juxta haec dicta Io. 14: in illo die cognoscetis vos, quod ego in patre meo sum et vos in me estis et ego in vobis. Item: Qui manet in me et ego in eo. Nec ita instituta est haec Coena, *ut tantum unius exigui momenti praesentiam significet, sed ut sit pignus assiduae praesentiae et efficaciae in credentibus*. Quare statuendum est, in sumtione vere et substantialiter adesse filium Dei et hanc sumtionem testimonium esse assiduae praesentiae et efficaciae in credentibus. Haec qui cogitant de perpetua praesentia, magis laetabuntur usu coenaei Domini et consolationem ex ea majorem percipient. Tantum autem loquitur Dominus de sumtione, non de aliis rebus et actionibus extra sumtionem. Ac deplorandum est, Papistas tantum dicere de praesentia in pane et prorsus tacere de praesentia assidua in credentibus.« *)

Quae quum ita sint, maxima profecto est inter utrumque gratiae instrumentum convenientia. Omnes gratiae, quas re-

---

et toto corde assentiendum est Ebrardo dicenti: „Mit der Seelenerhebung ist — nur die subjektive Stimmung des Communicanten gemeint, schlechterdings nur das, dass er Christum vom Himmel herab und nicht vom Brode erwarten soll.“ (Dogm. v. heiligen Abendmahl II. p 562.)

*) Explic. alt. part. Symb. Nic. — Confer etiam: Galle, Versuch einer Charakt. Melancht. p. 447.

censuimus, communes sunt utrique. Sed restat non levis diversitas quae jam est notanda. Cum nondum de fidei dono, quo sicut manu accipimus gratias divinas, sermo fuerit, nunc quaerendum est, utrum tanti doni verbum solum an etiam sacramentum sit organon. Alii hanc, alii illam sequuntur sententiam. Equidem non dubito eorum partem amplecti, qui verbo tantum fidem ut medio tribuunt divino.

Primum omnium scripturis docemur, verbum esse instrumentum, quo Spiritus sanctus in hominibus illuminationem, conversionem, fidem operatur. Quare, ut vis illuminans denotetur, in altera Petri epistola sermo propheticus lucerna splendens in obscuro loco nominatur, usquedum dies illucesceret et lucifer exoriretur in cordibus (2 Petr. 1, 19). Si vero in Jeremiae prophetae libro Dominus interrogat: »Nonne sic sunt dicta mea ut ignis, utque petram diffundens malleus« eadem efficacia verbo tribuitur, quam in epistola ad Hebraeos (4, 12), ubi sermo Dei gladius dicitur penetrantior quovis gladio utrinqne scindente et pertingens usque ad divisionem animae et spiritus compagiumque et medullarum, ac discretor cogitationum et intentionum cordis. Quid clarius hac expositione esse potest? Imaginibus mallei et gladii describitur verbi divini vis et effectus ad conversionem operandam. Ut enim sincere ad Deum convertamur, non leviter nos pungi vel lancinari, sed penitus vulnerari oportet. Nunquam tota mente credimus, nisi spiritualis gladii acie vetus noster homo confectus fuerit, ita ut mortis aeternae sensu prostrati nobis mori discamus. Paulus denique, idem qui verbum Dei titulo magnifico, esse potentiam Dei, ornat, aliis locis praedicat, fidem venire

ex auditu sermonis divini (Rom. 10, 17. Gal. 3, 2) et fideles electos ab initio ad salutem, ad fidem vocatos esse per praedicationem evangelii (2. ep. ad Thessal. 2, 13. 14). — Haec omnia serio perpendenti et praeter alios scripturae locos praeclarum illud meditanti dictum, quo filius Dei ipse praedicit (Io. 17, 20) fideles omni ecclesiae tempore per *sermonem apostolorum credituros esse* in se — manifestum esse debet, verbum divinum primarium saltem habendum esse fidei medium, quo in adultis ordinarie conversio peragitur, fides incenditur. Itaque omnes theologi evangelici uno ore docent, adultos non esse baptizandos antequam edocti et evangelii praedicatione ad Christum sincera fide perducti sint. *) In hac veritate defendenda tam strenui sunt omnes, ut adversarios perstringant, quod magicam tribuant vim sacramento, omnibus divinae operationis et humanae naturae legibus repugnantem. Ego vero, tali concessione minime contentus, sustinendum esse puto, nunquam nec per baptismi nec coenae sacramentum effici fidem. Ubi est enim verbum Dei, quod tali titulo ornet sacramenta? Nullibi reperies scripturae dictum ad talis doctrinae demonstrationem idoneum. Si quis objiciat in epistola ad Galatas laudari baptismum, ut instrumentum, quo Christum induissent, quod quidem sine fide fieri non posset, non egemus solida responsione. Scio enim a Paulo ita scribi: Nam quicunque in Christum baptizati fuistis, Christo fuistis induti (3, 27). Sed quid ad rem? Sine fide in Christum nemo negat Christum indui non posse. Ut Paulus in epistola ad Romanos (13, 14)

*) Inter multos alios conf. Höfling d. Sakr. d. Taufe I, p. 89—94.

jam baptizatos *) hortatur, ut Christum induant neque carnis curam habeant ad explendas cupiditates, ita hoc loco nihil aliud in animo habet sanctus apostolus quam exhortationem, Galatas esse filios Dei et propterea tam intima cum Christo gaudere conjunctione, ut coram Deo nomen ac personam Christi gerant ac in ipso magis quam in se ipsis censeantur. Quam unitatem cum Christo ut describat, utitur similitudine vestis. Talis vero adoptio in filios Dei, qua Christum quodammodo induimus, non est fides ipsa, sed fidei vivae consequentia cerniturque in veteris hominis mortificatione ac novae vitae ardore. Induimur enim primo tanquam veste, hoc est, ornamur et placemus Deo, justitia sive satisfactione Christi nobis imputata et per fidem applicata: deinde et conformitate cum ipso, quum fidei spiritu pulsi in nova ambulemus vita. Quomodo igitur his verbis Pauli ad Galatas scriptis demonstrari possit, baptismum fidei esse instrumentum, equidem non video. Manifestum est, apostolum has duas locutiones: filios Dei fieri per fidem et Christum induere, eodem sensu usurpare. Praeterea Galatae sine dubio adulti sunt baptizati, postquam evangelii praedicatione repleti essent fide in Christum salvatorem.

---

*) Minime igitur eorum commentationi assentiri possumus, qui cum Naegelsbachio (Zeitschr. f. luth. Theol. 1849, p. 618) putant βαπτισθῆναι εἰς Χριστὸν et ἐνδύσασθαι Χριστὸν unum esse et idem. Confer etiam quae Ursinus hac de re acute scribit in „Refutatione Sophismatum, quibus apostata quidam ambitiosus argumenta pro fidei per sacramenta confirmatione allata, convellere conatur“ p. 529, 566. in Zach. Ursini. Tract. theol. Neust. Palat. 1584.

Sacra scriptura auxilium denegante adversarii ad humanas confugiunt rationes scholasticorum in modum, qui jam medio aevo doctrinam de sacramentis vitiarunt vel vitiatam humanis figmentis stabilire studuerunt. Sustinetur enim sacramento eodem jure quo verbo fidei effectum esse tribuendum, quum sacramentum nunquam sine verbo sit. *) Quae universalis sententia ne ad baptismum quidem restringitur. Idem Lutherus qui quondam hunc in modum de fidei origine locutus est: »mit dem Worte nimmt Gott das Herz ein« — »im selben Wort kommt der Geist und gibt den Glauben« **), aliis locis in eam progreditur opinionem, ut fidem a Coenae sacramento tanquam a primario quodam fonte derivet. ***) Equidem non video vel minimum talium argumentationum fundamentum solidum, mihique Thomas Aquinas non minore jure et eadem fere tergiversatione septenarium sacramentorum numerum stabilire videtur. Me non fugit secundum dictum illud Augustini, verbum ad elementum accedere fierique sacramentum, sed omnino me praeterit, quomodo fieri possit, ut eo verbo, quod ad elementum accedit, fides efficiatur. Quamvis enim verba »Ego te baptizo etc.« »Hoc est corpus meum etc.« ex verbo Dei sint desumpta vereque divina, tamen nihil est in iis, quod homini ad Christum nondum converso peccatum et damnationem, in qua est, revelare et salutem Salvatoris impetrandam ita proponere possit, ut intelligere queat, quid sibi velint haec signa

---

*) Delitzsch. Vier Bücher v. d. Kirche p. 26.
**) Luth. opp. tom XX. p. 20. et 271. ed. Walch.
***) Opp. tom XX. p. 438.

et verba. Per se ipsa enim ne perspicua quidem sunt verba sacramentalia, quippe quarum significatio ex toto systemate christianae veritatis eluceat *), quidquid objiciant Lutherani, qui aliis volunt ea omnia esse manifesta indubitataque, quae sibi vera statuunt et de sacramentis docenda. Quae quum ita sint, non est via et ratio, qua homo liber et sui conscius ad fidem perduci possit praeter verbum Dei, nisi cum Romanensibus contra scripturas sacramentorum vim ex opere operato vel efficaciam in omnibus obicem tantum non ponentibus laudare velimus, quod inter nostros Schenkelius et Delitzschius disertis verbis fecerunt. **)

Instant adversarii hac alia utentes ratiocinatione. »Im Momente des Empfanges, inquit Delitzschius, kann sich am Sakramentworte der Glaube in ihnen entzünden, also durch das Sakrament, zu dessen Wesen das Wort gehört, in ihnen gewirkt werden.« ***) Quibus Lutherani verbis assentiri videtur Schenkelius, cum in egregio libro suo jam laudato haec faciat verba: »Allein nicht nur vermittelst des Wortes, sondern auch vermittelst des Sakramentes wird der Glaube von Gott bewirkt. Denn wir könnten uns auch denken, dass ein durchaus Ungläubiger, sei es aus Gewohnheit, sei es mit bewusster Heuchelei zum Tische des Herrn hinzuträte, durch die Darstellung der göttlichen Liebesoffenbarung im Sakramente aber so ergriffen würde, dass er zum Glauben erwachte.

*) Conf. Ebrard, d. Dogma v. h. Abendm. I. cp. 1.

**) Wesen des Protest. II. p. 381. 382. Delitzsch l. c. p. 28. et 32.

***) l. c. p. 26.

Daher ist die eigentliche Aufgabe des Sakramentes keine andere, als den Glauben, wo er nicht da ist, zu wirken.« *) Delitzschium Lutheranum superat Schenkelius, quum hic sacramenti *finem* esse dicat fidem operari, quod ille non ambigue negat. **) In eo autem conspirant, quod Delitzschius, eadem ratione qua Schenkelius, ex possibilitate hypothetica realitatem concludat. Quis vero sustinere vellet Deum omnipotentem, in cujus manibus nostrae sunt animae ut fontes aquarum, nos ad se et ad Christum suum alio instrumento trahere non posse quam verbo suo? Equidem a tali audacia tantum absum, ut cum Schenkelio patribus ecclesiae Oecolampadio, Zwinglio aliisque sustinentibus, nos etiam sine externo instrumento inflari et ad salutem perduci posse Spiritu divino, minime contradicere velim. Neque desunt exempla, quibus probetur patrem coelestem in liberis spiritualibus sibi procreandis externis mediis suis alligatum non esse. Sed hoc loco non quaeritur, quid cogitari possit, quid Deus noster facere possit vel non possit, quia de eo tantum inter nos agitur, quae cujusque gratiae instrumenti sit operatio a Deo ordinata et propterea ordinaria. Quod denique sacramentum Coenae attinet, multi scripturae loci docent, hunc cibum discipulis solis Christi esse dandum, infideles vero et hypocritas ab epulo divino esse arcendos, indignos judicium sibi manducare. Quod si negari non potest, cum Schenkelio

---

*) l. c. p. 379 et 381: „Die Sakramente seien dazu da, den Glauben zu wirken."

**) l. c. „Denn zwar ist es wahr, die Sakramente haben nicht den Zweck, den Glauben zu wirken."

spem alere non possumus, infidelem quendam sacrae coenae abusu in Christum esse conversurum. Aegre fero, virum doctissimum tam longe a veritate evangelica aberrasse, ut dicere possit, eos omnes sacramenta in nuda convertere spectacula sensumque protestantismi non esse assecutos, qui doctrinam suam anthropologicam non admittant.*) Infra videbimus sacramenta nobis minime esse nuda spectacula, quamvis non doceamus ordinata esse ad fidem procreandam. Quam doctrinam ut relinquamus, etiam iis considerationibus minime permovemur, quas Schenkelius opinioni suae ut firmamentum quoddam addit. »Wie leicht, inquit, ist aus diesem Grunde die schreckliche Abnahme der Theilnahme am Abendmahle in einer Zeit zu erklären, wo man unter dem Glauben mehr als dogmatische Zustimmung zu der Kirchenlehre versteht. Eigentlich war schon Luther auf dem besten Wege, das Sakrament des Abendmahls zu einem Monopole Weniger zu machen. Weil nicht alle Menschen den Glauben hätten, sagt er, dürfe es mindestens keine „gemeine Ordnung“ sein.«*) At summa certe laude dignum esse Lutherum, quod ita locutus sit, is semper judicabit, qui Pauli dictorum oblitus non est sincereque secum reputavit, quid sit, cur in scriptura legamus, mortem Christi pro salute damnatorum a Coenae convivis esse annuntiandam, nemini ad sanctum epulum adire fas esse, nisi antea se exploraverit, num digne accedat i. e. num fidem habeat et poenitentiam. Manifestum praeterea est, Deum irasci consenti-

---

*) l. c. p. 380. 381.
**) l. c. II. p. 382.

entibus et conniventibus ad profanationem sacramenti per infideles et impoenitentes convivas, tales admittentes non minus puniri quam ipsos impios a conniventibus admissos. (1. Cor. 11, 26. 28. 31.) Neminem deinde praeterire decet haec apostoli ad ecclesiam Corinthiacam ac totam ecclesiam Christi scripta exhortatio: »Nunc autem scripsi vobis, ne commisceamini, id est, si quis, quum frater nominetur, sit scortator, aut avarus, aut idolatra, aut conviciator, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi, inquam, ne edatis quidem« (1 Cor. 5, 11.). Cui admonitioni si addis, quod idem apostolus ad Titum suum scribit, impoenitentes nempe eos esse, qui Deum profitentur se scire, sed factis negant, cum sint abominandi et rebelles, ad omne bonum opus reprobi (1, 16), pro certo habere debemus, a christianis apostolicis non coena tantum sed omni vitae commercio indignos judicatos esse infideles et impoenitentes. Quamvis igitur fides vel inchoata ex indignis jam dignos faciat sacramenti convivas et augmentum fidei salutisque accepturos, tamen negantes poenitentiam et fidem non habentes vel respuentes ne pro membris quidem ecclesiae sunt habendi *) et majore jure a Coena sunt arcendi, quae est ecclesiae non autem mundi epulum. Propterea Lutherus longissime ab errore abest, si negat sacramentum multitudinis esse. Coena filiorum panis est, at honestum non est panem filiorum canibus objicere. (Matth. 15, 26). Salvator ipse denique doctrinae assentitur ecclesiae praesertim reformatae, coenae sacramentum non esse

*) Conf. de hac re Ursini Explicationes catech. p. 588—591.

multitudinis eorum, qui nomen christianum obtendunt, sed fidei sincerae, poenitentiae, carnis mortificationis nihil habent. Idem Christus enim est, qui et admonet, »ne sanctum detis canibus« (Matth. 7, 6), et docet, latam esse portam et spatiosam viam in exitium abducentem, *multos*que per eam introire, *paucos* vero invenire viam strictam, quae ducit ad vitam. Ecclesia igitur non esset Dei ecclesia vivi, non esset columna et stabilimentum veritatis, si tam longe abesset a notitia, quomodo in domo oporteat versari (1 Tim. 3, 15), si, Schenkelio exhortante, januas sancti coenae mysterii ita aperire vellet, ut *multitudo* ad epulum coeleste accumbere posset. Talis consilii obsequio horrenda in ecclesia committeretur profanatio magisque abominanda ac perniciosior, quam nimia severitas in convivis coenae admittendis. Lutheranae ecclesiae fere nusquam sacra mysteria sacramenti idoneis et necessariis circumdederunt praesidiis, reformatarum vero ecclesiarum sempiterna erit laus et splendidissimum decus, quod summo studio sanctae disciplinae usu curarunt, ut sacramentorum et foederis divini profanatio vitetur, ut in ecclesia retineatur obedientia presbyterio debita, ut tollantur scandala et nihil, quod ad emendationem et salutem peccantium a Deo institutum est, in ecclesia negligatur. »Seniores constituendi sunt, inquit Ursinus doctor celeberrimus ecclesiae reformatae germanicae, qui morum ecclesiae censores sint. His flagitiose viventes, post unam atque alteram admonitionem privatam indicandi sunt et ab his moneantur: quibus si non obtemperant, eorum consensu a Coenae dominicae communione debent arceri, donec emendationem vitae non tantum verbis promittant, sed factis etiam osten-

daut.« *) Theologi Heidelbergenses jam anno 1568 contra Erastum et Erastianos cujusque saeculi hanc sustinuerunt thesin: »Officium autem (gubernationis sc.) hoc voco,. ut ministri cum presbyterio quosvis peccantes, *etiam Principes*, arguendi increpandi, excommunicandi, reliquaque ad disciplinam ecclesiasticam pertinentia peragendi facultatem et habeant et exerceant.« (Cf. Zanchii opp. theol. Tom. VIII. Miscellan. Epist. p. 63 sqq.). Idem uno ore Leges ecclesiastici Hassiaci anni 1566, Tecklenburgenses anni 1588, docent synodus Wesaliensis, Emdana et synodus generalis Herbornae habita, ut germanarum tantum ecclesiarum mentionem faciam. **) (Cf. Richter Kirchen-

---

*) Zach. Ursini Tractat. Theolog. Neustadii Palatinorum 1584. p. 650. et 651.

**) Primum salutaris disciplinae idoneum exemplum in Germania dedit peregrinorum ecclesia Francofurdensis. Tam luculentum est testimonium veritatis, quod reformati illi christiani post diros cruciatus a pontificiis et lutheranis perpessos dederunt, ut nunc quoque nostris ecclesiis proponere juvet. Liturgia sacra peregrinorum hunc in modum de disciplina et excommunicatione agit. „Porro, inquit, quantum ad vitam corporis est necessarius spiritus et halitus, quo represso necesse est statim hominem extingui, ita est usus disciplinae et fraternae correctionis in ecclesia: quam ipsi serio exercent in omnes rebelles et praefractae pervicaciae viros seu mulieres, qui admoniti resipiscere ac poenitentiam vitae prioris agere recusent. In publicis criminibus statim publica poenitentia exigitur aut excommunicatur pertinax. In occultis autem, principio clam et privatim, deinde adhibitis testibus, ac tandem in concilio Seniorum admonetur. Post ubi nil profici vident, pastor scelus et hominem Ecclesiae palam facit, ut vel hac ratione pudefiat. Denique si post trinam ejusmodi monitionem pergit obstinate agere, quarto die dominico excommunicatur,

ordnung. II. p. 295. 477; 316—318. p. 476.) At quomodo nostris diebus haec res se habet? Proh dolor! Longissime a via patrum aberravimus ad maximum certe ecclesiae detrimentum. (Conf. Append. II.). Hodie propterea omnibus evangelicis in votis esse debet, utinam ecclesia nunquam ne minimo quidem gradu a stricta via in sacramentorum dispensatione declinasset, nunquam et nullibi criminosa conniventia testimonium quoddam dedisset infidelibus!

Alia est Delitzschii*) objectio. »Wir könnten, inquit, auch in der That keine Freudigkeit haben, die Kinder gemäss der Aufforderung des Herrn: Wehret ihnen nicht (Matth. 19, 14) zur Taufe zu bringen, wofern wir nicht dem in das Wort gefassten Sakramente die Kraft zutrauten, in der Kindesseele die Erschliessung des Gemüths für seinen himmlischen Inhalt zu wirken.« Quibus verbis vetus illa Chemnizii, Gerhardi aliorumque Lutheranorum doctrina exposita videri possit, se-

---

et *sacris omnibus ille interdicitur,* nempe *sacramentis* et *precibus.* His enim temporibus jubetur ab ecclesia secedere. A concionibus nunquam arcetur. Imo nunquam desunt, qui privatim agant et ad poenitentiam hortentur. Cujus si signa certa dederit, tum, convocata ecclesia, jubetur culpam criminis agnoscere, ac deinde consensu universae ecclesiae ad precum et sacramentorum communionem admittitur.

Id autem ad disciplinam pertinet, quod nemo huic ecclesiae accensetur, nisi prius *publicam fidem* sit professus. Alioqui non admittitur quisquam ad ullius sacramenti communionem; ac ne baptismus quidem ullis confertur, nisi parentum alter ita sit fidem professus: nec conjugio benedicitur, nisi prius fidem professi sint conjuges (Conf. Richter Kirchenord. II. p. 160.).

*) l. c. p. 26.

cundum quam baptismus in cordibus infantium accenderet fidem et regenerationem operaretur, vel fides directa, qua parvulorum corda in Christum mediatorem, ut ita dicam, rapiuntur.*) Quum autem Delitzschii opinio tam universalibus verbis proferatur, operae pretium est, alios theologos quaerere accuratius, quid sit, *quando* et *quomodo* fiat, quod dicitur »Erschliessung des Gemüths für den himmlischen Gehalt« scil. sacramenti. At quaerentibus nobis non solum diversae dantur responsiones, sed etiam mira respondentium confusio idearum tegi non potest. Lutherus, contra Anabaptistas pugnans, parvulos christianorum jam ante**) baptismum credentes sustinet, alio contra operum

---

*) Simili fere modo Martensenius (l. c. p. 478) sustinet, a baptismo in parvulis veram quandam perfici regenerationem, quae tamen sit regeneratio *materialis*, non *personalis*. Sed ubi locorum scriptura unquam de tali impersonali regeneratione uno tantum verbo agat, nec a Martensenio nec a quoquam alio dici potest; quin immo regeneratio humana sui ipsius nescia contradictio est in adjecto. — Vestigiis Martensenii ingreditur Naegelsbachius (Zeitschr. f. luth. Theol. 1849. p. 668) negans quidem baptismum regenerationis esse sacramentum, quia non ante resurrectionis diem novo corpore sumus induti. — De talibus quid dicendum est? Ludus est verborum nostris diebus frequentior, qui sanae doctrinae non prodest, sed discordiam et studium novitatis fovet.

**) Kpostille 1521. Pred. üb. d. Evang. 3. Epiphan.; Pred. üb. d. Evang. 12. Trinit.; Pred. üb. d. Evang. 19. Trinitatis. — Höflingius quoque fidei parvulorum acerrimus est propugnator. Propterea operae pretium est, perlustrare argumenta, quibus hic theologus lutheranus doctrinam suam stabilire studet. „Freilich, inquit, haben die Kinder den Glauben nicht und können ihn nicht haben im Sinne der Erwachsenen. Aber folgt daraus, dass sie ihn überhaupt nicht haben und namentlich auch durch die Taufe in

suorum loco *) infantes per sacramentum credentes fieri *putat.* Celeberrimus Augustinus fidem parvulorum plane re-

---

keinerlei Weise gewinnen können? Ist denn der Glaube ein Produkt unseres eigenen menschlichen Erkennens, Fühlens und Wollens, und nicht vielmehr überall da, wo er zu Stande kommt, ein Werk des göttlichen Geistes, eine Wirkung der göttlichen Gnade? Besteht er seinem eigentlichen, seinem innersten Wesen nach in etwas Anderem, als im Empfangen und Aufnehmen des Geistes, der Gnade, der Kraft des Herrn? Setzt er auf Seiten des Menschen etwas Anderes voraus als jenes *πτωχοὺς εἶναι τῷ πνεύματι* (Matth. 5, 3), jene demüthige und unbefangene Herzensstellung, jene reine Receptivität und passive Capacität für die Gnade, zu welcher die Erwachsenen erst umkehren, erst wieder zurückgebracht werden müssen, während sie den Kindern von Natur eignet?" (Sakr. d. T. I, p. 100. et 101.). Si silentio praetereo ea verba, quibus gratia tantum Dei ad fidem operandam eum in modum necessaria putatur, ut canis etiam vel arbor eodem fere jure fidei capaces haberi possint, copiosioribus aliis verbis Ursini fere proponi opinio videtur, parvulos *inclinatione* credere. (Explic. cat. p. 506.). At celeberrimus iste Reformatorum doctor argumentis utitur, qui de *christianis* tantum parvulis valent, et derivat inclinationem ad pietatem ex *gratiae foedere,* non ex infantium *natura.* Commentum fidei inclinatae propterea multo tolerabilius quam Höflingii theoria. Quis enim concedere posset parvulos natura sua *πτωχοὺς εἶναι τῷ πνεύματι*? Talis verborum Salvatoris commentatio negaret, homines omnes esse *φύσει τέκνα τῆς ὀργῆς* atque omnes ex utero matris procedentes parvulos beatos judicaret. Nimis probat etiam Höflingius, quia ex argumentatione sua necessarie consequitur, omnes infantes natura ad mediatorem esse conversos; nam omnes, qui *πτωχοὶ* sunt *τῷ πνεύματι,* non possunt quin in Christum sint conversi (Cf. De Wette, exeg. Handb. I, 1, p. 55.).

*) Pred. v. d. h. Taufe üb. d. Evang. am Fest der Ersch. des Herrn. 1535. — Pred. üb. d. 3. Cap. Matth. 1540.

jicit *), nihilque aliud ad infantes per baptismum salvandos admittit quam fidem mediatoriam communionis sanctorum. **) Ad talem mediatorem necessarium habendum pellit virum venerandum sollicitudo, ne infantes morientes damnentur. »Qui non crediderit, inquit, condemnabitur. Ubi ponis parvulos baptizatos? Profecto in numero credentium.« ***) Quae vero responsio nulla est, quum nihil sit quam curae de statu infantium mortuorum pellendae studium, quo certe tota quaestio nostra vitiata est. †) — Magistri Sententiarum temporibus multi theologi docent, per baptismum signum tantum spirituale imprimi, quod vocatur *character* et a multis nihil reale, sed ens quoddam rationis habetur. Alii, a concilio Viennensi nominati, remissionem quidem peccatorum parvulis per baptismum tribuerunt, nullum vero donum spirituale internum. ††) — Romanenses recentiorum temporum infantibus, quum actu credere non possint, fictam quandam fidem, quam *habitualem* nominant et Martensenii fidei *impersonali* simillima est, tribuunt idque propter fidem *alienam* †††), quae tamen secundum

*) De Peccat. merit. cap. 35. De Civit. Dei. lib. 21. cap. 16. lib. 24. cap. 24.

**) Cont. Donat. cap. 13.

***) Aug. Serm. 14. de verb. apost.

†) Tecklenb. Kirchenordg. a. 1588. hac de re ita: „Die Kinder der Christen, so ohne verachtung des Tauffs sterben, da wissen alle verstendigen, dasz sie nit alsz verdambte, sondern alsz selig zu halten seindt. Zu deme, dasz die Junge Kinder nit erst selig werden im tauff, sondern dasz Ihnen die Seligkeit verheishen auch jm Mutterleibe oder von Anfangk jres lebens.“

††) Estii Comment. in IV. lib. Sent. dist. I. §. 21. dist. IV. §. 5.

†††) Concil. Trid. Sess. VII. de bapt. 13. Bellarm. lib. I. de bapt.

concilium Florentinum *sine sacramento* prodesse non potest. Credunt igitur parvuli, quia non *ipsi* sed *alii* credunt (!), et haec fides, facillima quidem, non obstat, quominus infantes ex opere operato omnia dona divina accipiant, quibus vere ac formaliter justificantur! Alii aliter de gratia habituali parvulis baptismate collata sentiunt; antiqua enim est controversia, num inhaerens gratia sit habitus infusus, an vero actus virtualiter in baptizato remanens, an ipsemet Spiritus sanctus qui illius aut actus aut habitus vices agat. *) Non est cur nos vel hanc controversiam enodemus vel diutius in hac quaestione perpendenda immoremur. Quamvis enim variae, quin etiam diversae opiniones de operatione baptismi in parvulis prolatae sint, nulla fere nobis placere potest, quum evangelii principiis contrariae videantur. Nam omnes hae responsiones ex *vano et illicito* timore natae sunt, ne parvuli sine fide morientes damnentur; omnes propterea mechanica quadam ratione enti spirituali et regno divino repugnante infantes donis coelestibus et liberrimis fidei, spei et charitatis donare student. Fides haec infantum est donum mere portentosum, vel, ut Bernhardi (Sermo 5. in Cant.) verbis utar, ex puro miraculo et nullo conscientiae humanae concursu nascitur. Verum enim vero fides vera et salvifica nunquam qualitas esse potest *quiescens* ac *sopita,* sed aut est *viva, libera, sui conscia actio et vita animae in Christum confidens,* aut non est. Fides salutaris ne cogitari

*) Iuenin, Comment. historico.-dogmat. de S. S. diss. II. qu. VIII. cap. 4. art. 2. — Petav. VI. theol. dogm. lib. XI. de Incarn. qu. VII. num. 11. et 12. tom. II. lib. 8. de Trin. a cap. 3. usque per totum VII.

quidem potest sine damnationis propter peccatum persuasione et sincero mediatioris amplexu. Tribuuntur igitur repugnantes qualitates fidei ab omnibus illis theologis, qui fidem impersonalem, quiescentem, mere miraculosam, mechanicam, habitualem, directam defendunt. Quum secundum Christi evangelium fides sit actus *per eminentiam personalis* fiduciae et obedientiae in *Christum salvatorem*, infantes etiam baptizati in numero credentium nullo modo ponendi sunt. Scriptura unum tantum fidei evangelicae genus docet, idque, omnibus fictionibus relictis, tenendum est. Qui cum Paulo dicere non potest: *οἶδα γὰρ ᾧ πεπίστευκα*, is fidelis non est, neque nebulis humanae imaginationis inter credentium numerum recipi potest. Nihilominus longissime absumus ab fanaticorum et anabaptistarum errore, qui falso ratiocinantur, nemini baptismi sacramentum esse conferendum nisi fidei et regenerationis capaci. Ut enim infantes veteris testamenti, quo circumcidebantur momento, quid sibi vellet signum illud, intelligentia non comprehendebant, vere tamen circumcidebantur in naturae suae corruptae contaminatae mortificationem, quam adulti postea meditarentur — eodem modo *Christianorum* i. e. parentum sincero corde in Christum credentium infantes baptismi sacramento in gratiae foedus recipiuntur et baptizantur in *futuram* poenitentiam et fidem, quas idem Spiritus sanctus, promissionem suam sacramento obsignans, in iis operabitur suo tempore. Quamvis itaque baptismus nec Hollazii fidem in cordibus parvulorum, nec Martensenii regenerationem fictam impersonalem efficiat, tamen parvulos parentum *christianorum* baptizamus gratissimo erga Deum animo. Quae quum ita sint,

jam extra omne positum est dubium, maximi esse momenti, ut ecclesiae in baptismi administratione ***severam et sanctam exerceant disciplinam.*** ***Parentes*** et ***fidejussores*** scrutandi sunt, num fidem evangelicam sincero corde amplectantur et in vita christiana ambulent. *) Parentes et fidejussores, ***non autem parvuli,*** ante baptismum interrogandi sunt et hunc quidem in modum:

1°. Vultisne hunc puellum baptizari in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, id est sanctae et indivisae *Trinitatis?*

2°. Vosne igitur promittitis daturos operam, ut puer hic summo studio ***in his omnibus instituatur, quae tota scriptura veteris et novi Testamenti continentur, ut ea credat, his nitatur, nempe certus, esse verbum Dei quod coelo demissum est?***

3°. Idne pollicemini, vos esse summo studio christiano curaturos, ***ut infans vitam instituat ex praescripto legis Dei,*** quae duobus potissimum capitibus continetur, ut Deum ex tota mente ex cunctis viribus nostris amemus, et ut proximos nostros diligamus ut nos ipsos?

---

*) *Synod. Herborn.* 1586. Art. III.

39. Pater infantis intersit actioni baptismi ac conjungat preces suas cum Ecclesia.

40. Petat baptismi testes homines pios et orthodoxos.

Synod. Emdan. 20: „Gezeugen bei der Tauff zu thun, oder nicht, wirt auch Adiaphorum geachtet.“ 64: „So aber die gefattern solchergestalt erfordert werden, dasz sie die sorge das kind zu unterrichten und zu lehren auf sich nehmen, ist notig, dasz sie Glieder der kirchen sind.“

His sponsionibus factis ab *evangelicis* ac *fidelibus* parentibus et fidejussoribus — qui tamen necessarii non sunt *) — parvuli baptizari possunt in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, ut postea, cum ejusdem Trinitatis misericordia ad conversionem et ad fidem evangelicam pervenerint atque *liberrima* voluntate nomen Christi profiteri decreverint, per confirmationis actum baptismi foedus ratum habeant et, ut membra Christi per fidem, ad sacramentum Coenae admittantur. Quam viam evangelicam nemo improbare potest, qui non cum concilio tridentino parvulos per baptismum ex opere operato renatos putat. **)

Hac disputatione certum nobis indicatum est discrimen inter verbi et sacramenti efficaciam, quum jam negari non

---

*) Conf. Richter Kirchenord. II. p. 156.

**) Omnibus evangelii Filii Dei legibus repugnant quae Pontificicrum Spiritus de fidei natura, de coactione ad fidem poenis in eum finem adhibendis, de confirmatione in concilio illo tridentino maxime abominando sustinet. Parvuli baptizati a Romanensibus non solum inter *fideles* computantur, *quamvis actum credendi non habeant,* sed etiam a confirmatione fidei arceutur et *poenis digni judicantur si fidem romanam reliquunt, quum adoleverint.* „Si quis dixerit, inquit concilium, hujus modi parvulos baptizatos, quum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt; et ubi si nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos; nec alia interim poena ad christianam vitam cogendos, nisi ut ab eucharistae aliorumque sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant: anathema sit." Conc. Trid. Sessio VII. de sacram. de bapt. can. XIV. Conf. etiam de bapt. can. XIII. de Confirmat. can. I.

possit, fidem soli verbo ut instrumento divino ad eum effectum ordinato esse tribuendam. Propterea verbum in ordinaria via salutis alterum gratiae medium praecedit. Ratio discriminis inter utrumque instrumentum in eo sita est, quod sacramenta sine intellectu non movent secundum antiquissimum illud dictum: »Ignoti nulla cupido.« Declarationem symbolorum ex verbo hanc ob causam semper praemittit ecclesia. Ne tamen propter hanc differentiam convenientia sacramenti et verbi negligatur, hoc jam loco observandum est utrique sacramento magnam esse vim fidei *confirmandae, roborandae, augendae.* Itaque firmissimum perpetuumque solamen ex altero gratiae instrumento hauriunt fideles etiam illi, qui parvuli baptizati sunt, cum rei *divinae* praeteritae eadem sit vis ac praesentis.

Superest ut paucis verbis quasdam differentias diluamus, quae ab aliis inter utrumque gratiae instrumentum statui solent. Nemo minore laudat ardore efficaciam ac dignitatem verbi divini quam ecclesia romana. Raro tantum de verbi operatione sermo est. Sunt duo praesertim symbolorum loci, qui obscure rei tam magni momenti mentionem faciunt. In concilii tridentini decretis legimus, homines divina gratia excitatos et adjutos *ad* ipsam justitiam *disponi* fidem ex auditu concipientes. *) In catechismo romano haec docentur: »verba enim inter omnia signa maximam vim habere perspicuum est, ac si ipsa desint, *plane obscurum erit, quidnam materia sacramentorum demonstret.* **) Cuivis talia doctrinae de verbi efficacia evangelicae rudera in vasto romanensium errorum gurgite raro

*) De Justif. cap. VI.

**) Cat. Rom. II, 1. qu. 8.

nantia perlustranti manifestum est, Papae theologos de verbo nihil aliud praedicare, quam utile esse instrumentum ad *docendum* quid sibi velint sacramenta, in quibus solis omnia dona gratiae divinae ut in thesauro ab ecclesia, i. e. ab hierarchia, aperiendo abscondita sunt. Nam ne eo quidem fucum nobis facere possunt, quod dicunt »fidem ex auditu concipi,« quum satis superque sciamus, hanc fidem romanensem non esse justificantem et salutarem sed solam praebere *notitiam* salutis, nihilque esse, quam assensum intellectus ac fidem illam *diabolorum,* de qua in praeclara Jacobi epistola agitur. Post ea, quae supra jam de verbi efficacia disputavimus, multis verbis opus non est ad tam insipidam opinionem refellendam, qua omne discrimen inter verbum divinum et humanum tollitur. Non abs re tamen est, breviter hic consanguinitatem denotare, quam inter rationalismi et romanismi doctrinam esse non solum hoc loco apparet. Longum est, nunc hac de re multa facere verba, cum ultro perspicuum sit, nos in hoc verbi divini contemptu novum invenisse testimonium ejus veritatis, quam ante decem jam annos Baurius Möhlero opposuit. *)

Quominus deinde anonymo cuidam assentiamur dicenti a baptismo perfici, a verbo autem doceri vel obsignari tantum regenerationem, obstant quae supra, locis Iac. 1, 18; 1. Petr. 1, 23; Ioa. 6, 43. ducibus, disputavimus. **)

---

*) Baur, d. Gegens. d. Kath. u. Protest. p. 676—680. Conf. etiam Nitzsch, Protest. Beantw. p. 149—151. Estii Comment. in Mag. Sent. Lib. IV. Dist. I. §. 8.

**) Zeitschr. für Prot. u. Kirche 1848, Januarh. p. 7: „Das Wort gibt Zeugniss vom Wunder der Wiedergeburt, die Taufe vollbringt es."

In iisdem theologiae lutheranae ephemeridibus alius quidam profundam inter verbum et sacramentum discriminis veritatem his verbis in lucem proferre putat: „Die Sakramente sind zum Unterschiede vom Worte Gottes Handlungen, die das geistlich-leibliche Wesen des Menschen berühren.“ *) Haec tam profunda distinctio prorsus nulla est, ut non solum ex natura unionis mysticae supra expositae et non minus per verbum quam per sacramentum operatae, sed etiam ex disertis his Salvatoris verbis apparet. »Haec est autem, inquit, voluntas ejus, qui misit me, ut quisquis qui conspicit Filium et *credit* in eum habeat vitam aeternam et suscitem ipsum ultimo *illo* die.“ (Io. 6, 40.) His enim clare evidenterque ostenditur, verbi divini efficaciam corpus quoque attingere, cum etiam vis resurrectionis a verbo derivetur.

Eodem fere argumento refellitur differentia inter effectus verbi et sacramenti, quam sibi statuit Hofmannus **) Quamvis enim concedamus, fideles carni quoque Christi glorificati uniri, tamen omni jure negamus, talem effectum solis sacramentis esse tribuendum, quum satis superque demonstratum sit, nos verbo quoque divino uniri toti Christo vivificanti et participes fieri naturae humanae glorificatae Salvatoris. — Huic priori disquisitioni finem ponentes confiteri debemus, maximam quidem esse verbi et sacramenti convenientiam, sed illi, ut fidei instrumento, majorem a Deo datam esse efficaciam et salutis primariam operationem. ***)

---

*) Jahrg. 1850. Februarh. p. 78.

**) Weissag. und Erfüllg. II. p. 238. 239.

***) Clarissimus juris consultus Huschkeus, quamvis lutheranae causae

CAPUT II.

De verbi divini et sacramenti operandi ratione.

Transeamus jam ad alterum, quod nobis proposuimus, caput de modo utriusque gratiae instrumenti efficaciae. In hac quoque disquisitione magna statim convenientia verbi et sacramenti se offert.

Primo quidem extra omne positum est dubium, verbo et sacramento dona divina non solum promitti et obsignari sed etiam exhiberi, si legitimo iis fruitur usu. Sunt enim Dei institutiones pacta liberrimae misericordiae, quae ab hominum voluntate vel praeparatione dependere non possunt. Ubique igitur, semper et omnibus, impiis etiam, Christus pro nobis crucifixus et nunc in gloria regnans offertur, exhibetur per verbum et sacramentum. Qua in doctrina omnes evangelicos convenire decet, convenitque cum Luthero Calvinus. — Eadem concordia tota ecclesia evangelica hanc secundam convenientiam verbi et sacramenti docet, qua utriusque gratiae instrumenti effectus *salutaris* a credentibus solis accipitur; in fidelibus vero et verbum et sacramentum χρίμα est. Luthe-

---

toto animo addictus, contra suorum mos hac nobis assentitur confessione: „So ist denn das Wort allerdings in mehrfacher Beziehung mächtiger, als das Sakrament." Zeitschr. für luth. Theol. 1849. p. 67.

rani *) igitur non minore ardore quam Reformati judaicam Romanensium opinionem rejiciunt, secundum quam Deus per sacramenta vi quadam magica gratiam obicem tantum non ponentibus infundit. »Verbum et sacramenta, quum legitime iis utendum sit, nihil conferunt aut prosunt nisi fide accepta: non secus ac vinum, vel oleum, vel alium liquorem quemlibet large infundas, effluet tamen et peribit nisi aperto vasis ore: vas autem ipsum undique perfusum inane nihilominus ac vacuum manebit.« **) Hanc Calvini evangeliique doctrinam, *subjectivam* tantum salutaris sacramenti usus conditionem indicantem, cum Lutheri placito consentaneam esse non patitur Martensenius. Dicit enim ***), secundum theoriam calvinianam, in sacramentorum celebratione Christum credentibus tantum adesse, fidelibus tantum exhiberi dona salutaria. Miror talem accusationem a viro doctissimo in medium proferri posse. Neminem enim Calvini de Coena domini et sacramentis in universum

---

*) Conf. Apol. Conf. Aug. VII, 15. Luth. opp. XX. p. 48: „Ohne den Glauben ist die äussere Empfahung nichts. Der Glaube muss vorhanden sein und die äusserl. Empfahung geschickt machen, sonst ist's lauter Spiegelfechterei."

**) Inst. rel. christ. IV. 14. 17.

***) D. christl. Dogm. p. 490: „Und wenn wir uns eine Communion dächten, wo alle Gäste Ungläubige wären, so würde hier gar kein Sakrament sein, sondern nur der sichtbare Schatten desselben." p. 494: „Es folgt aus dem bisher Entwickelten, dass die calvinische Anschauung, Christus sei nur für die Gläubigen gegenwärtig, zu verwerfen ist. Denn nicht der Glaube und die Andacht, sondern es ist Gottes Wort und die göttliche Einsetzung, welche das Sakrament schafft."

scripta sine partium studio legentem praeterire potest, Calvinum fidelissimum esse objectivae sacramentorum dignitatis propugnatorem. »Certum quidem est, inquit venerandus ecclesiae reformatae pater, *offerri communiter omnibus* Christum cum suis donis, *nec hominum incredulitate labefactari Dei veritatem, quin semper vim suam retineant sacramenta;* sed non omnes Christi et donorum ejus sunt *capaces.* Itaque *ex Dei parte nihil mutatur;* quantum vero ad homines spectat, quisque pro fidei suae *mensura* accipit.« *) Deinde quomodo Martensenii accusatio manifestius dilui possit, quam hac argumentatione in celeberrima notissimaque Institutione **) religionis christianae proposita, equidem non video. »Quantum igitur, cum ad veram Christi notitiam in nobis fovendam, confirmandam, augendam, tum ad eum plenius possidendum, eiusque divitias consequendas, illorum ministerio adjuvamur, tantum apud nos efficaciae habent: id autem fit, ubi quod illic offertur vera fide suscipimus. Ergo, inquies, id efficiunt sua ingratitudine impii, ut irrita sit Dei ordinatio, ac in nihil cedat? Respondeo non sic intelligendum quod dixi, quasi ab ejus qui recipit conditione aut arbitrio vis et veritas sacramenti pendeat. Manet enim firmum quod Deus instituit, naturamque suam retinet, utcunque varient homines: sed quum aliud sit offerre, aliud recipere, nihil obstat quominus consecratum verbo Domini Symbolum sit revera quod dicitur, vimque suam conservet, nulla tamen inde utilitas ad hominem scelestum

*) Cons. Tigur. XIV.
**) Lib. IV. 14. 16.

ac impium perveniat.« Quod alio igitur loco contra Westphali *) calumnias a Calvino scriptum est, nunc quoque valet: »calumniose doctrinam meam pervertit, si impius ad mensam accedat, jam amplius virtutem non esse conjunctam signis, quod nusquam apud me reperietur. — Obtendit *verbo* fieri sacramentum, non *fide nostra.* Hoc ut *concedam,* nondum tamen obtinet, promiscue Christum canibus et porcis ita prostitui ut carne ejus vescantur.« Pluribus profecto opus non est ad probandum, omnino nullo niti fundamento, quod post Westphalum non Martensenius solus sed innumeri calumniarunt et calumniant Lutherani. Cujus erroris tam late perfusi causa in doctrina reformata reperiri non posset, nisi tertia inter verbum et sacramentum intercedens convenientia, de qua jam sumus disputaturi, male intelligeretur vel potius perverteretur a Lutheri asseclis. Docemus enim, utrumque gratiae instrumentum in eo quoque convenire, quod gratia Christi instrumento nec sit *affixa* nec *inclusa.* Quamvis non separemus vel disjungamus res promissas et signatas a verbo et signis, distinguendum tamen est a rebus vel auditis vel visibilibus donum ipsum coeleste, quod totum a spiritu Dei manat. Cavemus ne in multorum tam veterum quam recentiorum scriptorum abducamus errorem, quo verbum quod auditur, aqua, panis et vinum quibus utitur Spiritus sancti vices gerunt ita, ut gratiae media *ipsa per se* gratias nobis conferant, quemadmodum vinum in cratere propinatur. Propterea omni ardore sustinendum, nullam aliam gratiarum causam efficientem esse *praeter spiritum Dei.* Verbum autem et sacramenta in-

*) Defens. I. p. 98. sqq.

strumentales tantum causae sunt, quibus Deus operationes suas minime resignat. Hoc modo mediam inter Romanenses et Lutheranos tenemus viam veritatis. Quominus virtutem spiritus sancti et dona coelestia elementis seu vasculis ac claustris inclusa putemus, obstant sacrae scripturae, quae nostram doctrinam firmissimis stabiliunt rationibus. Evangelium enim non aliam viam, qua ad nos perveniant dona Christi, docet, quam arcana spiritus sancti efficacia. Quicunque bonis a Patre datis fruitur, is spiritu sancto locupletatus est. Spiritus est qui de Christo testificatur (1. Io. 5, 7. 8.), qui nos ad obedientiam Christi et ad aspersionem sanguinis Salvatoris perducit (1. Petr. 1, 2), per quem solum Christum Dominum nostrum nominare possumus (1. Cor. 12, 3.). Per spiritum sanctum habemus ablutionem, justificationem et sanctificationem, quae sunt in Domino Iesu Christo (1. Cor. 6, 11.). Sine spiritu sancto Christi esse non possumus permanemusque in carne peccati. (Rom. 8, 9.) Quantacunque sit verbi ministerii praestantia et virtus, Spiritus sanctus tamen est internus doctor animae nostrae, qui corda evangelio adaperit (Act. 16, 14.), qui etiam Pauli apostoli praedicationi vim dat, cum neque minister qui plantat sit aliquid, neque qui rigat, sed Deus qui dat crescendi vim (1. Cor. 3, 5—7). Non alio modo novimus, in Christo nos manere et Christum in nobis quam Spiritu sancto, qui unionem nostram mysticam cum glorioso ecclesiae capite copulatur (1. Io. 3, 24. 4, 13.). Spiritus est, qui igne coelesti nos baptizat (Matth. 3, 11. Io. 3, 5.). Cum Paulus denique ad Corinthios scribat (1. Ep. 12, 13.): »etenim per unum Spiritum nos omnes in unum corpus baptizati sumus et judaei

et graeci, et servi et liberi: et omnes uno spiritu hausimus«, jam manifestum est, tam baptismi quam Coenae *) dona coelestia a Spiritu sancto distribui. Variarum Christi gratiarum igitur non instrumenta a Deo ordinata, sed Spiritus ipse est minister internus (1. Cor. 12, 4.). Eandem doctrinam de Spiritus sancti operatione Salvator ipse exponere videtur verbis illis celeberrrimis apud Ioannem (6, 63). Quaecunque enim totius loci illius aleae plenissimi placeat interpretatio, negari non potest, Spiritum sanctum eum esse, qui solus carnis

---

*) Me non fugit vulgatam hujus loci lectionem esse *εἰς ἓν πνεῦμα ἐποτίσθημεν*. Gravissimis tamen ex causis, a Lachmanno et Tischendorfio allatis, longe praeferenda videtur difficilior lectio *ἓν πνεῦμα ἐποτίσθημεν*, cui grammatices quoque leges et apostoli sententia maxime favent. Paulo enim in animo non est, spiritus unitatem exponere, quum totus in eo sit, ut corporis Christi unitas describatur. Ad hanc unitatem formandam inserviunt sacramenta ut causae instrumentales, Spiritus sanctus autem tanquam causa efficiens. Potum coelestem de Coena intelligimus cum Calvino, Beza, Luthero, Grotio, Olshausen, Osiander, aliisque. Non spernendae auctoritates, ut Chrysostomus, Theophylactus, Rückert, de Wette, Meyer, putant potum esse baptismi sacramentum. Quominus vero hanc opinionem probemus, obstant rationes non parvi momenti. Primo enim observandum est, potui et baptismo nullam esse congruentiam. Deinde analogiae locorum Ioa. 7, 37; Act. 2, 17; Rom. 5, 5, quae proferuntur, fictae sunt minimeque quadrant. Tautologia denique videretur haec altera baptismi mentio in uno eodemque versu. Quod Rückertus de aoristi *ἐποτίσθημεν* significatione obtendit, nisi iis expediretur quae a Kühnero docentur (Gramm. graec. §. 442. 1.), jam concedi posset, quum apostolus de eo tantum agat, quo *factum sit*, quod fideles unum sint corpus.

Christi vitam nobis dare possit. Longum est, de genuina carnis hujus Christi significatione disputare, quum tractatus de Coena domini nobis scribendus non sit. Quot de Coena opiniones, tot de hujus loci carnisque interpretationes. Alia igitur Lutheri, qui Tertulliani carnem deificatam adoptat, alia Zwinglii ac Oecolampadii, qui carnem de morte intelligunt, alia denique Calvini media quadam via incedentis commentatio. *) Mitto has controversias, quia proposito nostro nec prosunt nec nocent. Nam post recentiorum interpretum (Bretschneider, Bengel, Lindner, Olshausen, Kling, Delitzsch, Stier, Baur) caput sextum Ioannis de Coena intelligentium explicationes non multi hodie erunt theologi, qui concedere nolint, verbis »spiritus est id quod vivificat« nostram probari doctrinam, non elementis sed spiritu sancto participes nos fieri coelestium Coenae donorum. **)

His rite perpensis non possumus cum Schenkelio ***) tam acriter improbare, quae Oecolampadius, Zwinglius et alii de tractu interno, de interno doctore contra Romanensium judaicam doctrinam proposuerunt. Non nego strenuos hos fidei evangelicae propugnatores, proelii ardore seductos, ultra rectos

---

*) Conf. Luther, Sermon v. hochw. Sak opp. XIX. p. 556. Zwingl. de vera sel. opp. III. p. 241. Oecolamp. Annot. in Ioa. Basileae 1533. p. 120.

**) Conf. Lückei excursum de interpr. cap. VI. evang. sec. Ioannem, deinde Tischendorfii opusculum de Christo pane vitae (p. 15. sq.), Kahnis d. Lehre v. Abendm. Leipz. 1851. p. 114—118. Ebrard Dogma. v. heil. Abendm. I. Bd.

***) Wes. d. Prot. II. p. 397. sqq.

interdum fines internarum spiritus sancti operationum fuisse fautores, quia tam miseram sanae doctrinae corruptionem ante oculos habuerunt. Sed quid falsi in his verbis sit Oecolampadii *): »organum illud externum est inutile nisi illud intus sese manifestet,« post ea quae supra sunt disputata, equidem videre nequeo. Neque aliud est, quam sana evangelii doctrina de sacramentis gratiam non continentibus vel ipsam porrigentibus, si apud Zwinglium legimus: »signa nihil nisi externae res sunt, quibus nihil in conscientia efficitur, fides autem sola est qua beamur. Symbola igitur sunt externa ista rerum spiritualium, at *ipsa* minime sunt spiritualia, nec quicquam spirituale in nobis perficiunt.« **) Talibus judiciis nec Oecolampadius, nec Zwinglius sacramentis quidquam detrahere voluerunt, sed miseras hominum mentes, superstitione romana in res terrenas conversas et illigatas, ad spiritualia Spiritus sancti dona, quae in celebratione sacramentorum exhibentur quidem, sed cum signis non ita cohaerent, quin separari vel retineri queant, convertere studuerunt. Quod studium omni laude et assidua imitatione dignum mihi videtur. ***)

---

*) Antisyngramma ad Suevos.

**) De pecc. orig. declaratio opp. tom. III. p. 643.

***) Illis quae Schenkelius in libro suo (Wesen des Protest. I, p. 412 bis 423) contra reformatam sacramenti aestimationem disputat praeter ea, quae jam supra ipse dixi, opponere placet has Schweizeri admonitiones. „Allerdings soll man die äusseren Gnadenmittel nicht überschätzen, sie nicht willkürlich vermehren, da es nur bei Gott steht, wie weit und wie viel er aus gütiger Rücksicht auf unsere Sinnlichkeit sinnlichen Gnadenmitteln einräumen will. Sobald man über das von ihm angeordnete

Tertiae verbi et sacramenti convenientiae sic stabilitae ut consequentiam necessariam hanc quartam addere possumus, quod infidelibus neutro gratiae instrumento quidquam rei coelestis detur. Quam veritatem ut piam sustinentibus nobis in animo non est, infidelibus eam dare potentiam, ut Domini actiones irritas reddere possint. Praesens quidem est omnibus Dominus, sed in impios praesentiae Domini incapaces non intrat. Gratia omnibus exhibita solis credentibus datur, quippe quibus non desit fidei manus ad dona coelestia accipienda. Verbi gratiae igitur non minus resistunt impii et pertinaces quam sacramentis. Reprobanda propterea est opinio Delitzschii, qui sacramenti et verbi modum operandi ita diversum esse putat, ut verbo quidem sed minime sacramento resistere possint infideles. »Aber darin, inquit, besteht der wesentliche Unterschied des Wortes und des Sakramentes, dass Christus, insofern das Wort ihn uns entgegenbringt, nur empfangen wird

---

Maass hinausgeht, läuft man Gefahr, Mittel und Zweck zu vermengen und die ganze Religion zu versinnlichen, das Geistige dem Sinnlichen unterzuordnen. Die protest. Beschränkung der Gnadenmittel hängt also damit zusammen, dass dieselben als eine Herablassung Gottes zu unserer sinnlichen Unvollkommenheit angesehen werden; keine Frage, sobald man (Schenkel) diese Mittel wieder auf die Einheit des Göttlichen und Menschlichen bauen, ihre sinnliche Seite nicht als Herablassung, sondern als Vorzug ansehen würde: müsste auch der Trieb zur Ausdehnung und Mehrung der Gnadenmittel und zur Verehrung der äussern Kirche überhaupt wieder erwachen. Lieber die Zwinglische Dürftigkeit, als dieses werkheilige Unwesen.“ (Glaubensl. der evang.-reform. Kirche II. p. 572.)

von denen, die da glauben, insofern die Sakramente ihn uns entgegenbringen von allen, die sich ihnen untergeben. Dem Heile, welches das Wort uns zum Besitze darbietet, kann der Mensch sich verschliessen, die Gaben dagegen, welche den wesentlichen Inhalt der Sakramente ausmachen, gehen in den Empfangenden ein, er glaube oder nicht, obwohl sie ihm zum Verderben gereichen, wenn er ihre heilsamen Wirkungen unterdrückt. — So sind diejenigen Christen (sic), welche dereinst verloren gehen, keine andern, als die, welche Christum wahrhaftig angezogen und Christi Leib und Blut wahrhaftig genossen haben. In diesem Sinne ist es wahr, dass die Sakramente ex opere operato wirken und ein unauslöschliches Gepräge aufdrücken.« *) Quae doctrina vere lutherana non mediocriter efficaciam sacramentis a romanensium scholasticis tributam auget. Lombardus **) negat adhuc, impios corporis mystici Salvatoris participes fieri, neque ab ullo hujus generis theologo Coenae sacramento characteris indelebilis im-

*) L. c. p. 30—32. Idem fere legitur in Kahnisii libro: „Lehre v. Abendm.“ p. 276. Quod si his theologiae professoribus lutheranistum, nobis verae doctrinae evangelicae quam maxime contrarium videtur. Doctrinae de fide impersonali, de efficacia sacramentorum ex opere operato, de sacerdotio quodam lutherano a multis hodie laudato, de episcopatu principum, de ecclesia civili ac mundana — haec omnia augmentis ecclesiae evangelii quam perniciosissima sunt et luce clarius demonstrant, nos a lue romanensi omni ex parte nondum liberatos esse. Qua de re quae Gallus quidam theologus in appendice hujus libri observat omni consideratione nostra digna videntur. (Conf. Append.)

**) Sent. libr. IV. dist. 10.

primendi vis conceditur. Videamus autem quibus argumentis nitantur talia romani erroris augmenta. Proferuntur ut dicta probantia loci Rom. 6, 3. 4. Gal. 3, 27. 1. Cor. 10, 17. Quod fundamentum firmum non esse facile perpicitur. Si enim apostolus ad Romanos scribit: »an ignoratis nos, quotquot baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem ejus esse baptizatos« non de omnibus romanis loquitur et verbo »quotquot« eos tantum designat quos in antecedente capite *ex fide justificatos* et in epistolae introitu *dilectos Dei* nominat et *vocatione sanctos*. Ejusdem generis etiam fuerunt Galatae, qui baptizati erant et Christum induerunt, nam in versu antecedente (3, 26.) ut filii Dei per fidem in Christum Iesum laudantur. — Quod denique tertium locum attinet, non video, quomodo Delitzschius eo uti possit ad rem suam defendendam. Nam ultro manifestum est, illos Corinthios, qui ex participatione panis unum corpus facti sunt, non alios esse quam qui in epistolae introitu »ecclesia Dei,« »sanctificati in Christo Iesu,« »vocati sancti« vocantur. Deinde, quum Paulus ipse doceat (cap. 6, 15—17.) esse et Christi et scorti membra, quum quaerat, num igitur, tollens membra Christi, faciam scorti membra? — negari non potest baptizatos et communicantes non jam propter externam sacramenti participationem Christi membra esse, fierique posse ut ii, qui dona coelestia accipere videntur, nihilominus membra scorti sint vel mundi et *Κρίμα* tantum edant et bibant. — Quae quum ita sint, non possumus tantum sacramentis in ecclesiae formandae negotio tribuere, quantum placet De-

litzschio, *) neque sustineri potest ex participatione sacramenti conjiciendam esse communionem corporis Christi mysticam, quae est invisibilis Dei ecclesia per verbum et spiritum sanctum a mundi initio ad finem ex universo genere humano congregata tandemque beatitudine aeterna glorificanda. Verbum Dei autem, ut est causa instrumentalis fidei nostrae, ita etiam est communionis nostrae mysticae cum Christo capite et propterea non solum salutis aeternae, sed etiam certitudinis, quod simus filii Dei et ad hanc *υἱοθεσίαν* in Christo electi. Causa efficiens corporis mystici Salvatoris vel sanctae ecclesiae est Spiritus sanctus, qui in christianis fidem, salutem et certitudinem de nostra salute operatur. Sine fide igitur, quae est certa persuasio, e verbo Dei concepta et per spiritum sanctum operata, quod simus in Christo, filio Dei, gratis electi, per Christnm servati et cum ecclesia Christi glorificandi — nec socinianus, nec unitarius, ut sibi fingit Delitzschius, quamvis baptizatus vel coenae socius, corpori mystico Christi inseri potest.

Praeterea non desunt nobis propria nostrae sententiae argumenta. Quum hoc loco de hominum salute non vero de rebus naturalibus sermo sit, ut omnes christiani concedant necesse est, Spiritum sanctum cum impiis nullum habere commercium. Mundus spiritum a Domino promissum nec conspicit,

---

*) L. c. 32—34. „Wer nur immer getauft ist und Theil nimmt an des Herrn Mahl, der ist ein Glied am Leibe Christi. Der Leib Christi ist die Gesammtheit aller derer, die zu Einem Leibe getauft und zu Einem Geiste getränkt sind. Es sei Hengstenberg oder Wislicenus — — — — ein Socinianer oder Unitarier — kraft der Taufe sind sie allzumal Einer in Christo.“ etc.

nec novit, nec recipit (Ioa. 14, 17.) et hanc ob causam infidelis per spiritum dona spiritus accipere non potest.

Tum qui Christi carnem manducat et sanguinem ejus bibit habet vitam aeternam et manet in Christo (Io. 6, 54. 56). Atqui infidelis nec habet vitam aeternam, nec in Christo manet. Nam infideles quamvis baptizati Christi membra non sunt. Inanis igitur est salutarem inter et non salutarem manducationem corporis et sanguinis Christi distinctio *), quia juxta Christi sententiam omnis manducatio carnis et bibitio sanguinis Christi salutaris, nulla non salutaris est. Si vero objicitur, talem distinctionem a Paulo doceri apostolo optimoque jure cum Concordiae Formula (p. 600.) locum 1. Cor. 10, 26. 27. sic explicari posse: »hoc est, qui panem edit, corpus Christi edit« — simpliciter respondemus, illic minime legi *corpus* et *sanguinem* Christi, sed *panem* et *poculum* ab indignis edi et bibi ad judicium.

Deinde institutus est usus quidam legitimus, quo in sacramentorum celebratione neglecto, beneficia quoque Christi percipi non possunt. Quis autem sit talis usus legitimus, docet Paulus exhortatione illa apostolica »exploret autem quisque se ipsum et ita de pane illo edat et de poculo bibat.« (1. Cor. 11, 28.). Ut digni simus sacramenti gratia percipienda, exploratione opus est, num idoneis instructi simus qualitatibus christianis, num ea veste simus ornati, qua sola digni talis epuli convivae sumus. Vestis autem nihil est, nisi universalis cum Domino communionis conditio, fides cum poenitentia. Nullus

---

*) J. H. Heideggeri Corp. theol. christ. Tom. II. p. 494. ed. Tigur. 1700.

igitur usus legitimus est, sed Deo valde displicens abusus sacramenti, si usurpatur sine vera fide et conversione ad Deum. Legitimo usui contrarius opponitur verbis: »quisquis ederit panem hunc et biberit poculum hoc Domini indigne, reus tenetur corporis et sanguinis Christi« (1. Cor. 11, 29.). Qui hac ratione a Deo reprobata coenam sumunt, sacra christiana profanant et nullius rei nisi signorum et judicii Domini participes fiunt. Si autem judicium sibi edunt et bibunt, non video, quomodo Christo potiri possint. Nihil enim magis judicio oppositum est, quam gratia redemptoris, neque manifestior contradictio excogitari potest, quam ea, Christum in iis habitare, qui ei toto animo adversantur. Haeredes Dei e mundo electi nihil suavius, nihil altius habent, quam pignus illud spiritus sancti, se esse in Christo quia Christus in iis est. »Gloriam, inquit Salvator, quam mihi dedisti, dedi iis, ut sint consummati in unum et ut cognoscat mundus, quod tu me miseris et eos diligas prout me dilexisti (Ioa. 17, 22. 23.).« At si jam ore percipitur et ita in impios intrat, non solum infidelibus gloria illa datur, quam Dei liberis reservare voluit Christus, sed ne cogitari quidem potest, quomodo adhuc de reprobis sermo esse possit. In mentem mihi veniunt hac occasione quae maximus theologus Petrus Martyr adversus Gardinerum quendam scripsit: »Quantam, inquit, materiam errandi praebuistis adhaerentibus Marcioni, Valentino Eutycheti ceterisque pestibus, qui Christum non habuisse vere humanam carnem affirmant: nam si substantia corporis ejus invisibiliter volitat per innumera loca et modo hic incipit esse, modo illic, quis

non suspicetur esse phantasma.« *) Quod de horrendo Lutheranorum ubiquitatis dogmate dictum est, nostrae quoque optime potest applicari quaestioni, quae, ut tota lutherana in libro Concordiae quem vocant exposita de Coena Domini theoria, ubiquitati corporis Christi tanquam fundamento **) superstructa est. Quis enim non suspicetur Christum in infideles intrantem aut non esse verum, vivificantem, salvantem Dominum sed phantasma tantum, aut inter communicantes non esse homines in reprobatorum numerum ponendos, quum disertis verbis scriptura doceat, illum habere vitam aeternam, in judicium nunquam venturum esse et gloriosae resurrectionis participem fore,

*) Petri Martyris defensio doctrinae veteris et apostol. de sacrosancto Eucharistae sacramento adv. Steph. Gardineri libr. Obj. 14. p. 110.

**) *Admonitio christiana:* „Reliqua autem ipsorum argumenta, quum sint ejusmodi, quae nomen argumentorum non mereantur, fundamentum praecipuum ipsis est in ubiquitate corporis Christi, quod quale sit, satis etiam est ostensum et vel ex eo intelligi potest, quod perpetua petitione principii, incertum per aeque incertum et idem per idem figmentum probant. Nam corporalem praesentiam Christi in pane confirmant hoc argumento: Quia corpus ejus est ubique, ergo etiam in pane. Negatur ipsis ubiquitas; probant eam per unionem personalem, ascensionem in coelum, sessionem ad dextram Dei, divinarum proprietatum et operationum praedicationem de Christo homine: Negatur a nobis consequentia, quia testimonia infinita sunt, quae asseverant, Christum salva unione naturarum, ascensione, sessione ad dextram et divina majestate sua, corpore suo uno tempore, non nisi in uno loco fuisse et esse. Respondent, Christum tamen potuisse etiam tum esse ubique, sed noluisse hanc facultatem exerere et usurpare. At respondetur illis, ne potuisse quidem,

in quo est Salvator. Quam perniciosam consequentiam Lutherani minime fictione illa effugiunt, qua sustinent, Christum per sacramenti medium susceptum impiis in perniciem esse. Jam supra annotavimus unam tantum esse Christi perceptionem, salutarem nempe, quum Christus per se semper salutaris sit, neque a scriptura modus non salutaris Christum percipiendi doceatur. Quid? Num fieri potest, ut fons omnium gratiarum aeternus, invariabilis, incorruptibilis pervertatur in fortem perniciei? Quomodo vero? Num forte in potestate hominis impii esse potest, ut Dominum beatitudinis et vitae aeternae convertat in venenum damnationis aeternique judicii? Tali doctrina dignitas sacramenti objectiva, cujus tam strenui vindices esse volunt Lutherani, tam male defenderetur, ut etiam Romanensium de efficacia sacramenti ex opere operato doctrina et rationabilior et Christi majestati minus repugnans videretur. Rambachio *) hanc insuperabilem doctrinae suorum difficultatem ita explanare placet, ut Christum intrantem quidem in impiorum animos fingat, sed statim quoque ex iis euntem, quum in impiis praesentiae suae locum non inveniat. Hac autem

---

quia nullum potest dari exemplum aut dictum, ubi pluribus quam uno locis eodem tempore conspectus sit, aut saltem se adesse suo corpore testatus sit. Hic vero, quum proferre nihil possint, redeunt ad coenam Domini, ubi simul sit in coelo et pluribus locis terrarum. Qualis est autem haec probatio? Corpus Christi est in pane, quia est ubique: et est ubique, quia est in pane. Conf. libri laudati cap. VIII, Monstratio falsarum assertionum in libro Concordiae, pag. 292. Neustadii in Palatinatu 1581.

*) Cf. Stier, letzte Reden Jesu, p. 171.

fictione, quae omni scripturae fundamento caret, conscientia quaedam erroris lutherani proditur sed malo indicato minime medetur.

Certus denique est sermo omnique dignus acceptatione, Christum Iesum venisse in mundum, ut peccatores servaret (1 ad Tim. 1, 15.), ut animas redimeret et restauraret atque *per animam*, quae est centrum aeternae humanae essentiae, tanquam per solam viam enti rationali convenientem, *corpus quoque* interna renovaretur operatione, qua in die supremo conforme fieret Christi corpori glorioso *) (Phil. 3, 21.). Ut ex anima in corpus quoque manavit peccati pernicies, ita ex anima salus provenit **) ea ratione, quam celeberrimus Oetingerus in vocabulario suo biblico indicavit dicens: „Leiblichkeit ist das Ende der Werke Gottes, wie aus der Stadt Gottes, Offenb. 20, klar erhellet.“ ***) Propterea sacramentum primo loco mentis est cibus non ventris, neque impii pertinaces ad gloriosam resurrectionem aluntur nec verbi nec sacramenti medio.

Quorum argumentorum augetur auctoritas et vis explicationibus, quas Ursinus ad eandem veritatem probandam hunc in modum exponit. »Cui nihil, inquit, promittitur in verbo, ei sacramenta nihil obsignant. Impiis nihil promittitur in verbo, omnes enim promissiones habent annexam conditionem fidei et poenitentiae, nec res promissae nisi in verbo signis annexo,

---

*) Conf. Cyrill. lib. IV. ad Ioann. cap. 13.

**) Minime igitur assentior iis, quae l. c. Martensenius pag. 497 de doctrina lutherana non sine studio laudat.

***) Bibl. Wörterbuch, herausg. von Dr. Jul. Hamberger, p. 315.

quod impii infidelitate respuunt, offeruntur et accipiuntur. Sacramenta igitur impiis nihil obsignant neque conferunt. Signum diplomati appensum nihil obsignat, nisi iis, quibus etiam diploma promittit. Sic Deus beneficia sua non obsignat signis nisi iis, quibus etiam promittit verbo: impiis vero Deus nihil promittit, quamdiu manent in sua incredulitate.« *) His magni Heidelbergensis theologi verbis addere placet, quae Stierius, piissimus doctissimusque Scripturae interpres, de impiorum communione observat, quamvis alias lutheranae faveat opinioni. »Wenn Christus, inquit, verklärt leibhaftig — — vermittelst derselben manducatio oralis, an der es hinge, auch nur auf Einen Augenblick in die Ungläubigen einginge — das erklären wir für ein horrendum dictu, für ein schlechthin Undenkbares, in dessen Setzung die lutherische Lehre sich bis dahin, wo aller Verstand und alles Schriftwort ausgehet, verschlagen hat.« **) Cum Stierio non pauci consentiunt lutherani, quamvis nihilominus Lutheri de modo praesentiae Domini in Coena opinionem, quoad fidelium communionem, retinendam esse putent. Miror viros doctos ita sentire, quum neminem fugere deberet, a modo, quo Christum in Coena praesentem esse fingit Lutherus, necessarie tanquam consequentiam inevitabilem Dogma lutheranum de communione impiorum postulari. Falsum dogma, corpus Christi manducari etiam ab impiis et infidelibus, exstructum est ex falso, videlicet manducatione orali. Si quis docet a fidelibus tantum accipi Christum, vel, quod idem est,

*) Explicat. cat. p. 481.

**) Letzte Reden Jesu. p. 171.

nullam nisi spiritualem et per veram fidem in Christum in Coena Domini significari et promitti corporis Christi manducationem, figmentum de praesentia locali, de esu orali ultro corruit. Eodem modo impiorum manducatio Christi pars inevitabilis et complementum necessarium est doctrinae de praesentia locali et manducatione orali. Qui Christum in impios intrare negat, hac ipsa negatione castra doctrinae lutheranae reliquit. Cujus rei luculentissimum documentum Syngramma illud est ministrorum Sueviae contra Oecolampadii librum de genuina verborum Domini expositione. Quamvis saepius in contrarias partes de Syngrammatis sententia disputatum sit a viris doctissimis, a Bullingero (Cons. orth. foll. 129. et 130. ed. 1578) Planckio, Hartmanno (Brenz I, p. 151. ff.), Ebrardo (Dogm. v. A. II, p. 169. ff.), Kahnisio (Lehre v. A. p. 333. ff.) *)

---

*) Clarissimus Basnagius noster hujus quaestionis veram expositionem simplicibus verbis ante multos jam annos dedisse mihi videtur „Les théologiens de Suabe, inquit vir doctissimus, assemblés à Hall résolurent de répondre, à Oecolampade, en lui donnant le titre *de Père honorable*, de Frère bien aimé en J. Christ, et traitèrent leur dispute en amis. Ils ne parurent pas fort éloignés du sentiment qu'ils combattaient; car ils ne soutenaient la présence réelle du corps de J. Christ dans l'Eucharistie, que parce qu'il était présent à la foi par laquelle on le mange. — Cette assemblée de théologiens avait raison de regarder Oecolampade comme un Frère bien aimé et la dispute comme un discours d'amitié; car ses sentimens n'étaient différens que dans quelques termes de présence du corps et du sang de Jesus-Christ, qui ne pouvaient recevoir de contestation, lorsqu'on faisait dépendre cette présence de la foi. Conf. Basnage, Histoire de la religion des églises réformées. Tome IV, p. 184 et 185. Rotterdam 1721.

— omnia tamen sine partium studio perpendenti manifestum est, Suevos sibi Lutheri quidem defendendam proposuisse opinionem sed helveticorum doctrinam protulisse. Rejicientes impiorum participationem Christi in Coena in talem praesentiae Domini inciderunt modum, qui non solum a Luthero rejicitur, sed etiam nobis placere non potest, quum Christum impiis et infidelibus in Coena Domini vescentibus etiam *absentem* esse sustineant. »Non opinamur, dicunt Suevi, quenquam tam impie sentire, qui negat fidem bibere sanguinem et carnem Christi edere. Sic enim ait Io. 6. Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus. Cujus? Fidei, nam fides edit carnem Christi et bibit sanguinem ejus dum credit: jam si fides edat carnem et bibat sanguinem, consentaneum est, carnem et sanguinem esse praesentia: siquidem, si non essent praesentia, non possent edi aut bibi, aut si mavis credi. Quandoquidem Deum ipsum edere, hoc est, credere nemo potest nisi cui Deus praesens fuerit. Impiis et infidelibus *absens* est, proinde nec illum edunt.« Videant qui hodie lutherani esse volunt, ne, rejecta impiorum Christi in Coena participatione, mereantur idem judicium, quo Oecolampadius in celeberrimo invictoque Antisyngrammate suo Suevos castigavit dicens: »quaerunt fontes et non quaerunt aquas!«

Quod de sacramentis jam probavi, non est cur de verbo demonstrem. Omnes enim concedunt, verbo divino vim magice operantem non esse tribuendam. Experientia ac scriptura luce clarius docent, evangelii praedicationem his quidem odorem mortis esse ad mortem, illis vero odorem vitae ad vitam (2. Cor. 2, 14—16). Atque facinorosi illi, quos Iudaei

cum Salvatore crucifixerunt et quorum unus Christum conviciabatur, alter propter fidem in Dominum paradisum intravit — luculentum sunt documentum, verbum eodem omnino modo, quo sacramentum operari, neque salutem in eo inclusam contineri. *) Post omnia igitur quae disputata sunt, facile veritatem dicti illius Augustini **) intelligimus, quo sicut evangelii verbum ita quoque sacramentum baptismi et coenae quibusdam esse dicat odorem vitae ad vitam, quibusdam vero odorem mortis ad mortem. Eadem denique sagacitate hanc postremam convenientiam a nobis inter verbum et sacramentum statutam perspexit enuntiavitque Suevorum Syngramma, a Luthero etiam commendatum, verbis quidem utens hisce: »sic enim omnia in Coena ut in ipso verbo quaerenda sunt. Eadem namque ratione, qua nobis corpus in Coena, ita quoque donavit Christus totum evangelium quo nobis non solum praesentia fiunt corpus et sanguis Christi, sed tota Dei potentia, totus Deus cum omnibus bonis suis.«

Nihil superest, quam ut de differenti loquamur modo quo verbum et sacramentum operantur. Maximam profecto esse utriusque instrumenti gratiae convenientiam probavimus, sed ratio agendi non ex omnibus partibus eadem est utrique. Augusti-

---

*) Schenkelius (l. c.) Zwinglium alicubi docuisse stustinet, verbum divinum omnipotenti modo efficacem esse (abstrakte Allmachtswirkung). Perlegenti autem *totum* a Schenkelio citatum locum (Opp. I. p. 65) apparebit a Zwinglio nihil aliud doceri, quam propositum Dei irritum reddi non posse, (Cf. D. Wes. d. Protest. II. p. 386.)

**) Ad. Fulgent. Donat. infra cap. 8.

nus jam rectissime observat, verbum esse evangelium audibile, sacramentum autem visibile. Unici viri, cujus dicta altam semper mentem produnt, scrutantibus vestigia manifestum est sacramentum esse *actionem* divinam *visibilem* et propterea aptam non solum ad universalem sed etiam ad singularem exhibitionem. Per evangelii praedicationem salus in Christo Iesu universali quodam modo audientibus omnibus exhibetur, per sacramenti medium cum singulo quoque agitur. Hac in re gratissimo animo misericordia Dei est agnoscenda. Hominibus enim, ut sunt infirmi et sensibus subjecti, tali modo agendi opus est. Si angeli vel mere spirituales essemus visibili gratiae modo minime indigeremus. Nunc vero quum in longe alia simus conditione et hac terreni corporis mole circumdati, fides nostra carnali infirmitate impeditur, turbatur, debilitatur. Arduum enim est et difficile iis, quae in verbo invisibilia proponuntur, firmissima ea inhaerere animi persuasione qua decet. Multi praeterea debilitate ingenii ea sunt, ut modum, quo Deus noster in cordibus peragit salutem, perspicua notione intelligere non possint. *) Fides denique, quando statuit promissionem Dei in genere veram esse, angitur tamen de hac maximi momenti quaestione, an privatim ad me quoque per-

---

*) Rothe, Ethik II. 459 und 460: „Die Anordnung solcher symbolischen Acte — ist unumgängliches Bedürfniss. — — Hätte der Erlöser sich darauf beschränkt, in dieser Beziehung gewisse Lehrsätze — mitzutheilen — so hätte die Kenntniss von den eigentlichen Mysterien des eigenthümlich christlichen Lebens auf den unvermeidlich nur kleinen Kreis derjen. Gläub. beschränkt bleiben müssen, welche im Stande sind, dieselben denkend zu fassen.“ Etc.

tineat salus, quam Deus in Filio nobis proponit. Has ob causas Salvator, qui dives est in misericordia, non uno tantum medio, per nudum scilicet verbum, gratiam novi testamenti nobis exhibere voluit, sed placuit ei, infirmitatem nostram certis sublevare adminiculis, institutis in sensus incurrentibus ritibus, ut per hos ipse cum singulo quoque ageret, singulum quemque erudiret, roboraret, consolaretur ac certum redderet, quod foris in specie visibili geri cernimus, illud intus Dei virtute in nobis effici eadem certitudine, qua symbola gratiae percipimus corporaliter. Quamvis igitur omni studio verbum divinum laudandum sit ut sacramentum primarium et fundamentale, quo salus in hominum animis quasi per medium primum incipitur, sine quo sacramenta nec esse, nec prodesse possent — tamen grato erga Dominum misericordiae animo confitendum est, sacramenta verbo et operationi ejus maximum esse adjutorium. Quum sacramenta sint praedicatio sensibus facta, non possunt quin magnum auxilium, augmentum opemque adferant fidei. Signis enim praedicant Christum crucifixum, resurrectum, ante oculos ponunt agnum Dei peccata mundi tollentem. Ut panis humanam vitam sustinet ac fulcit, ut vinum hominem exhilarat, sic vitam spiritualem per sacramentum alit, roborat, auget Christus et omni spe destitutam mentem restituit, sustinet et laetificat. Deinde ut panis ex granis multis fit, sic magna inest vis sacramentis non solum ut denotent ecclesiam Christi, sed etiam ut per verbum congregatam et jam natam magis magisque coagmentent et erigant viribus Christi glorificati, ita ut sit verum templum Dei et fraternitate floreat, qua omni ex parte fides mutuo commercio alitur et defenditur. Atque haec

tanti momenti cooperatio sacramenti cum verbo per totam vitam hominis vim suam exserit. Quod de coenae sacramento valet, de baptismo quoque laudandum est. Restaurata enim est doctrina illa evangelica solatii plenissima, gratiam baptismi non valere tantum ad remissionem peccatorum praeteritorum, sed virtutem baptismalem per totam christiani hominis vitam durare et valere. Si quis per peccata ex gratia baptismi excidit, fide et poenitentia per verbum operatis ad baptismi foedus redit, ita ut vita Christiana quodam modo quotidianus sit baptismus. Ita baptismus, inquit Lutherus, intuendus est et nobis fructuosus faciendus, ut hoc freti corroboremur et confirmemur, quoties peccatis aut conscientia gravamur, ut dicamus: „Ego tamen baptizatus sum, quod si baptizatus, certum est ea promissa mihi data esse, me beatum fore ac vitam immortalem et anima et corpore possessurum.“ Opus vero aut gestus est, quod baptizandi in aquam mergimur, qua prorsus contegimur et postea mersi iterum extrahimur. Hae duae res, in aquam mergi et iterum emergere, virtutem et opus baptismi significant, quae non sunt alia, quam veteris Adami mortificatio et postea novi hominis resurrectio. Quae duo per omnem vitam nobis indesinenter exercenda sunt, ita ut christiana vita nihil aliud sit quam quotidianus quidam baptismus, semel quidem inceptus sed qui semper exercendus sit“ *). Baptismi dignitate secundum evangelii doctrinam sic restituta, Romanenses, qui sacramento fictitio suo poenitentiae baptismi vim et auctoritatem obruerunt, fortiter calumniare

*) Cat. maj. §. 38. p. 223. §. 57. et 64. p. 226—228. ed Franke.

inceperunt, ut corruptionem doctrinae de sacramentis ab ipsis commissam, tali ratione tegerent. Quid enim est nisi calumnia evangelicae doctrinae, quod in canone decimo sessionis septimae Concilii Tridentini legitur. *) Ubi unquam docuit ecclesia evangelica, peccata post baptismum commissa sola recordatione suscepti baptismi dimitti? Quis nostrum unquam epicuream opinionem defendit, sola recordatione baptismi remitti peccata, ut poenitentia opus non sit? Sed non longe quaeramus, cum Chemnitzius **) jam Romanenses refutaverit, qui hierarchiae tantum gratia horrendum errorem suum agnoscere nolunt. Mittamus igitur controversiam et laetemur, quia in baptismo perpetuum habemus sigillum aeternae misericordiae in Christo. Lapsi, fide ac poenitentia ex verbo provenientibus ducti, promissionem baptismi apprehendamus, coenam Domini *saepissime* ***) adeamus ut mortificemur, consolemur, roboremur et ita in dies magis magisque crescamus in

---


*) „Si quis dixerit, peccata omnia, quae post baptismum fiunt, sola recordatione et fide suscepti baptismi vel dimitti, vel venialia fieri, a. s."

**) Examen Con. Trid. P. II. de bapt. c. 10.

***) „Coena *singulis mensibus ad minimum* celebretur et quisque suo loco laboret, ut si non *singulis dominicis diebus totus* Ecclesiae coetus communicet — quod institutioni Christi et consuetudini apostolicae maxime est conforme adeoque optandum — saltem fiat *saepissime*. Tempus vero Communicationis primo pro suggestu significetur et accedat pia et amica seniorum ad vicinos adhortatio ut se ad communionem Ecclesiae agregent tanquam membra corporis Christi," Synod. herborn. III, 45.

gratia novi testamenti quae *una, eademque* semper est, Christus vivus et vivificans, quamvis non uno tantum utamur medio, sed verbo ac sacramento. *).

*) Conf. quae acute et copiose de hac gratiae unitate Heidelbergensium theologorum nomine disputavit Ursinus in libro: Gründlicher Bericht v. h. Abendmahl. Heid. 1566. Foll. 111 — 115.



Appendix.

I.

Ad notam *) pag, 63.

„Nous nous plaçons au point de vue de la foi chrétienne et non pas aus point de vue de la philosophie rationaliste. Si le catholicisme a encore quelqe chance de triomphe *momentané*, c'est au rationalisme qu'il en est redevable. — — Toute parole d'incrédulité aura pour réponse un redoublement de superstition; tout blasphème produira comme contre-coup un asservissement plus complet. Que de fois n'a-t-on pas vu l'incrédulité et la superstition se succéder chez le même homme et révéler le lien étroit qui les unit. — — Nous nous plaçons donc au point de vue de la foi évangélique, d'une foi libre de toute entrave humaine, appuyée sur Dieu seul et nous nous demandons quelle est la vraie manière de vaincre le catholicisme. Notre réponse est très simple: la vrai maniére de le vaincre, selon nous, c'est de lui ressembler le moins possible, c'est de rejeter le bagage quil nous a laissé. En

effet, il est fort extérieurement, par les ressources matérielles, mais il est faible par les principes: c'est par là qu'il périt. Notre force, à nous, est donc de développer les principes anticatholiques et il y a beaucoup à faire dans ce sens.

Le catholicisme se caractérise d'abord par le mécanisme de la croyance — par cette foi sans fondement solide, impersonelle, qui consiste à renoncer à l'examen, à l'appropriation de la vérité. Il faut lui opposer un principe directement contraire et se garder d'un entre-deux funeste qui ne serait qu'un compromis entre deux principes s'alliant pour s'énerver. Si l'on pose le libre examen il faut l'accepter avec ses conséquences et après s'être déclaré pour la foi personnelle, ne pas se hâter de comprimer son essor, comme on l'a fait trop souvent dans les églises opposées au catholicisme. Combien de chrétiens évangéliques ont une notion de la foi, qui, poussée jusqu'à ses dernières limites devrait les amener à la foi d'autorité! — — Si l'on pense que croire c'est renoncer a voir par soi-même, à examiner, à s'approprier, il faut aller jusqu'au bout et se jeter dans les bras de l'église qui prétend croire à notre place. Croire ce n'est pas renoncer à voir: c'est voir autrement et mieux. Tant qu'on n'a pas admis ce principe, on est dans la donnée catholique. Accuser un tel principe de rationalisme, c'est faire une étrange confusion. Ce qui distingue la foi du rationalisme ce n'est pas que la foi se dépouille du droit de contrôle et d'examen, c'est simplement que sa manière de juger, son mode d'appréciation, son critère diffèrent totalement du critère du rationalisme. La foi voit avec l'âme, avec la conscience, avec la volonté régé-

nérée, mais elle n'en voit pas moins; elle est la vue supérieure. Le rationalisme ne veut pas sortir du domaine inférieur de l'observation naturelle; il n'admet que ce qui rentre entre les branches d'un compas et comme l'infini n'y rentre pas, il lui échappe. La foi, comme nous l'entendons, ne supprime en rien le mystère, mais elle base toujours sa confiance sur un motif appréciable. — — —

Lo foi d'autorité dans le catholicisme empêche l'âme de communiquer directement avec la vérité; elle lui suggère l'idée qu'il suffit de croire à l'autorité pour être sauvé, et celle-ci dérobe et cache ce qu'elle prétend communiquer. Croire à l'Eglise au lieu de croire à Jésus-Christ est un cas très fréquent dans le catholicisme. Il faut opposer à ce formalisme dogmatique une foi simple, touchant l'âme et lui donnant Jésus-Christ, son sauveur et son consolateur. Trop souvent le christianisme a été voilé dans ce qu'il a de plus saisissant, de *plus* consolant par la théologie, par une scolastique d'un nouveau genre — et les systèmes dogmatiques, péniblement enchevêtrés, ont rempli le rôle de l'église catholique en se mettant entre le Sauveur et l'homme. Il ne s'agit pas de tomber dans le *vague* doctrinal, il s'agit de rapprocher toujours plus la doctrine de la grande réalité évangélique, de la rendre toujours plus transparente en quelque sorte, afin que le regard de Jésus arrive directement au pauvre pécheur qui soupire après lui. — — —

Du mécanisme de la croyance au mécanisme de la vie il n'y a qu'un pas, et ce pas le catholicisme l'a fait très longtemps. Ceux qui le combattent sont ils complètement dégagés

de ce second mécanisme qui stérilise la vie religieuse et la rapetisse aux proportions d'une habitude que l'on suit sans effort? Je ne le pense pas; je crois que *l'opus operatum* s'est plus ou moins glissé partout, et la grande faiblesse de la plupart des églises anticatholiques, c'est qu'elles sont à demi catholiques sous ce raport. Et je ne parle pas ici *des idées dogmatiques que l'on se fait sur le sacrement quand bien même je ne sais découvrir la différence entre telle doctrine sur le sacrement, qui a cours au milieu d'elles et la doctrine catholique.* Je parle de l'état général de ces églises, de leur constitution. Elles sont ou des églises nationales proprement dites, des églises adoptées par l'Etat comme églises du peuple, ou bien elles sont simplement reconnues par lui. Dans l'un et dans l'autre cas que voyons-nous! Les choses, se passent dans la société religieuse comme dans la société civile; on est inscrit à la fois sur les registres de l'état civile et sur ceux de l'église. On entre dans l'église par la grâce de la naissance, c'est-à-dire par un fait entièrement naturel. L'église est un compartiment géographique, on en est parce qu'on se trouve à tel degré de latitude et de longitude. — On peut répondre que l'entrée dans l'Eglise n'est réelle qu'après un catéchuménat prolongé et la participation au sacrement. Hélas nous le savons bien, mais ce *catéchumenat à âge fixe, toujours suivi nécessairement de la communion,* ne devient-il pas en général une forme déplorable? La première communion n'est-elle pas inscrite d'avance sur le programme de la vie? Les plaintes réitérées, les aveux fréquents, que nous pourrions enregistrer prouvent surabon-

damment que nous ne nous trompons pas. Qu'on nous cite les catéchumènes nombreux qui, au moment de faire le pas décisif, se retirent? On voit échouer une grande partie de ceux qui demandent les diplômes de la science humaine; il n'en est pas de même pour recevoir le sceau auguste du christianisme dans les églises dont nous parlons. Il est entendu que tous peuvent le recevoir et *cependant n'est-il pas le prix de ces convictions énergiques transformant l'âme,* si rares malheureusement à l'entrée de la vie. Nous insistons sur cette question du catéchuménat, car aucune ne nous montre davantage l'invasion du mécanisme religieux dans les églises anticatholiques. On sait ce qu'y devient trop souvent le culte. Dans combien d'églises n'est-il pas réduit à *l'assistance extérieure, à la communion prise aux grandes fêtes.* — Voulons-nous dire par là que tout soit à déplorer dans ces églises? Dieu nous en garde. Nous savons qu'un beau réveil de vie religieuse s'y prépare et s'y développe, mais nous n'en devons pas moins reconnaitre qu'il y a dans leurs institutions une tentation perpétuelle au formalisme, que ces institutions l'organisent autant qu'elles le peuvent, et *qu'en particulier le sacrament, dans l'absence de discipline et avec les habitudes sanctionées*, y favorise déplorablement le catholicisme latent toujours prêt à éclore dans nos coeurs.

Le *sacerdoce*, nous l'avons vu, est la réalisation première du sytème catholique. Est-on consequent avec ses principes quand, faisant profession de lui être opposé, on laisse se reformer un sacerdoce nouveau? Notre force est de protester

de parole et de fait contre l'idée du sacerdoce et d'établir le ministère évangélique sur sa vraie base qui est *l'assentiment des fidèles* — dans une église *fidèle* s'entend — et leur *coopération*. Le *cléricalisme*, espèce de prêtrise au petit pied, avec sa raideur et son étroitesse, est encore un de ces traitres qui introduisent l'ennemi dans le camp. Il y a beaucoup à réformer dans ce sens. Le peuple — le *vrai peuple de l'Eglise* — doit retrouver son emploi dans la vie de l'Eglise et tant qu'on le laissera inactif, spectateur indifférent ou plutôt auditeur d'un clergé isolé dans sa charge, on sera mal préparé à faire tomber par sa base le catholicisme, car sa base c'est le sacerdoce."

Edmond de Pressensé. Du catholicisme en France. Paris. 1851. Trois. part. Chap. III. De la vraie manière de vaincre le catholicisme. pag. 163 — 172. —



II.

Ad. pagin. 26.

Statuta quaedam ecclesiarum reformatarum Germaniae de disciplina ecclesiastica.

A. Synodus Emdana anni 1571.

Von der Disciplin und Straff dero kirchen.

25. Wir erkennen auch das die Disciplin und Straffe der kirchen in allen kirchen zu halten und derhalben etc.

26. So aber Jemand in reinigkeit der lehr irret, oder in heiligkeit des wandels sündiget, so das heimlig und von gemeinen ergernis verborgen ist, soll die Regel gehalten werden, wie unser her Christus offentlig beshreibet. Matth. 18.

27. Und darumb solln die heimliche sunden deren, so nach besonderer beschehener vermanungh durch zwey, oder drey zeugen angestellet und sich derohalben bereuwen theten, ahn das Consistorium nicht gebraht werden, die heimliche Sunder aber, so dem gemeinen nutz, oder der kirchen schweren verderb zu bringen, als sind Verrätherey, verfurungh der

Seelen, soln dem Dhiener vermeldet werden, das mit desselben rhadt, was in der Sachen zu thun, versehen werde.

28. So Jemand in heimlichen Sunden zweyer oder dreyer vermanen nicht horete, oder sunsten offentliche sunden begienge, sol dem Consistorio (-Presbyterio) angegeben werden.

29. Die Sunden, so ihrer natur offenbar, oder die umb der verachtungh der kirchen vermanungen sind offenbar worden, sollen auch offentlich versonet werden, nicht nach eines oder zweier, sondern nach des ganzen Consistorii (-Presbyterii) erkennen und das dero gestalt und mass, wie eine jederen kirchen am nutzlichsten kann erachtet werden.

30. Der aber halzstarrig des Consistorii vermanungh verwirffet, soll von der gemeintschaft des Nachtmals, abgehalten werden, Und so derselbe also abgehalten nach vielen ermahnungen kein zeichen der Busse gebe, soll mit ihme zum Bann geschritten werden.

31. Der Diener soll von der Cantzel den halzstarrigen Sunder vermahnen, die sunde auslegen und die uberwiesene mit seinem Dhienst und Ampt vom Nachtmal abgehalten und doch mit fleissigem vermahnen erklieren. Sol auch die Gemeinde vor solchen unbussfertigen sunder ernstlich zu bitten ermanen, ehe, und zuvor sie zu entlicher straffe Artznei zu schreiten gedrungen werde. Und solcher vermanungen sollen drey geschehen. In der Erster soll der Sunder, darmit seiner etwas verschonet, nicht genennet werden. In der zweiten soll er genennet werden. In der dritten soll der Gemeinden angezeigt werden, dass er (so er sich nicht bekert) zu verbannen sei, auff das er, so er anders halzstarrig verbleibt sempt-

lich mit der gemein stillschweigendem Consentz verbannet werde. Die zeit und weil, so den zweien Vermanungen, so zwischen dem Verlauff zugelassen werden, sollen stan in erkenntnus des Consistorii (Presbyterii). Und da er durch dise Dhienst und Mittel zur bekehrung nicht konne gleidt werden, soll Solchen halzstarrigen sunder Verbannungh, und Abschneidung vom Leib der kirchen vor der Gemein offentlich ausgesprochen und erkannt werden. Darnach soll der Dhiener den brauch, und endt des Banns ihm weiter erkleren und die glaubigen vermanen, das sie mit dem verbannten keine freuntliche, noch unnothige gemeinschaft haben, sondern seine gesellschaft meiden mit dem sunderlichen rhait und fursatz, das daruber der Verbannter schamroth gemacht mit ernst nach der Bekehrung denken mochte.

32. Die aber schwere, der kirchen lasterhaffte, und der gewalt der Oberkeit straffbare sunden begangen, ob dieselbe schon mit den worten die buss bezeugen, sollen gleichwohl von der gemeinschafft des Nachtmahls gehalten werden aber, wie offtermal stehet, in erkenntniss des Consistorii.

etc.

B. *Synodus generalis Herbornae habita. 1586.*

Art. IV. De Censuris Ecclesiasticis.

51. Si quis peccat contra doctrinae puritatem vel honestatem et scandalum occultum, tegatur scandalum. Quod si quis confessionem edit occulti peccati coram *duobus* vel *tribus* testibus, non proferatur ad Presbyterium.

52. Si quis admonitus peccati occulti a duobus vel tribus testibus non vult resipiscere, proferatur ad Presbyterium.

53. Si quis contumacia respuit Presbyterii commonefactionem et aperte et graviter peccat, a coena Domini suspendatur. Quodsi interea non edit signa resipiscentiae, ursupetur ultimum remedium praeter commonefactiones nempe separatio.

54. Nemo tamen excommunicatur sine consensu Conventus classici.

55. Peccata publica vel publicata post omnem fustra impensam commonefactionem requirunt etiam publicam reconciliationem secundum cognitionem Presbyterii et consensum classicum eo modo, quo videtur cuique Ecclesiae commodissimum.

58. Ministri verbi, Seniores et Diaconi, antequam coena Domini administretur, censuram inter se exerceant de doctrina et moribus.

60. Nulla Ecclesia, nullus Minister, nullus Senior, nullus Diaconus habeat primatum super alterum.*).

*) Audiant hanc exhortationem qui nostris diebus vario modo novam in ecclesias evangelicas introducere hierarchiam conantur!



XII.
Declaratio articuli de coena Domini.

Credimus ex sacris scripturis quod in coena Domini verum Corpus, quod pro nobis fractum est, et verum sanguinem, qui pro nobis effusus est, percipimus, quodque panis, qui frangitur, communicatio sit corporis Christi et calix, cui benedicitur, communicatio sanguinis Christi: et quod unus panis unum corpus multi sumus, Christum quoque ipsum verum ac vividum suae sacrae coenae praesentem adesse, non dubitamus. Nam ut ii qui baptizantur Christum revera induunt, sic qui non indigne de hoc pane edunt Christum ipsum vivificum cibum, qui ipse est virtus ac vita, quos vult vivificans, edunt. Tenemus etiam ex confessionis Augustanae X. et XIII. articulis, quod cum pane et vino exhibeatur vere corpus et sanguis Christi vescentibus in coena Domini.

Praeterea quod Sacramenta instituta sunt non modo, ut sint notae professionis nostrae, sed multo magis, ut sint signa et testimonia voluntatis divinae erga nos proposita ad excitandam et confirmandam fidem in his, qui eis utuntur.

Modum autem percipiendi corporis et sanguinis Christi in Coena, sacramentalem esse dicimus, ut ore carnali sacramentum, id est panem et vinum, ore autem spirituali, id est per fidem, rem sacramenti, nempe verum Christi corpus et sanguinem in animae alimentum et vitam percipiamus.

Placet enim nobis pia illa ac necessaria coelestis ac terrenae rei in sacramento distinctio, qua duo Ministri in Coena esse non obscure agnoscuntur; *terrenus,* qui verbo et precatione sanctificata symbola, et *coelestis,* qui verum corpus et sanguinem Christi, cibum coelestem in fide communicantibus exhibuit.

Nam et Christus ait, non Moses sed pater meus ipse dat vobis panem de coelo verum. Et veluti Moses carnem circumcidit et externum justitiae signaculum contulit, sed internam cordis circumcisionem et rei significatae collationem opus Dei patris esse cognovit: Ita coelestem panem in sacra coena per Spiritum sanctum suum venturum ac rem ipsam largiri nobis Christianis, Ministro sacra symbola distribuente, apud omnes extra controversiam esse nobis persuademus. Huic facit Augustini dictum ad Circenses Epist. 130: „Hoc agit ille et efficit, qui per ministros suos verum signis extrinsecus admonet, vobis autem ipsis per se ipsum intrinsecus docet.

Quod vero dicitur animarum nostrarum alimentum esse carnem et sanguinem Christi, id non ita accipimus quasi transfusione substantiae fiat, sed quod Spiritus sancti virtute vitam ex carne et sanguine Christi simul pro nobis crucifixi hauriamus.

Hanc vero propositionem (Christus est ubique) per ἰδιο-

ματων κοινωνιαν, id est secundum naturam, quae est in re infinita, veram esse intelligimus quemadmodum hanc, Christus mortuus est, secundum naturam, quae in re mortalis erat.

Quare credimus Dominum Christum et ejus coenam et sanguinem in coena Domini in fide communicantibus vere, ut jam explicavimus, adesse, exhiberi et percipi.

Hanc de coena Domini declarationem a confessione augustana non alienam esse putamus et in caeteris articulis nos eam amplecti ingenue profitemur.

Oramus igitur amplitudines vestras, ut, hac proposita confessione, quod in libello nostro supplice petiimus pro benignitate vestra concedere dignentur.

Nam quemadmodum ne doctores quidem Germaniae omnes uno modo articulum hunc confessionis augustanae explicant, aliis ubiquitatem urgentibus, aliis contra negantibus, mutuo se fratres agnoscunt et fraterne tractant;

Sic nos oramus Evangelii puritatem profitentes, ut quemadmodum nos illos fratres agnoscimus colimus et pro ipsis Domino preces fundimus, Nos quoque illi eundem Christum confitentes et propter papismum, quem ipsi una nobiscum abominantur, patria exulantes, fratrum loco habeant, benigneque in societatem, contentiosis disputationibus intermissis aut potius sopitis, excipiant quo alacrius.

Vestris excellentiis. Addictissimi et devotissimi.

H. Bakerell.

Joannes Taffinus *).

---

*) Idem *Joannes Taffinus,* est qui postea anno 1571 cum Petro Datheno ecclesiae peregrinae reformatae praefuit heidelbergensi et cum eo-

Errata.

Pag. 33. p. eucharistae l. eucharistiae.
- 46. - lutheranistum l. lutheranissimum.
- 49. - gitur l. igitur.
- 51. - eucharistae l. eucharistiae.

---

dem Datheno a synodo emdana 1571 in Galliam missus est, ut ecclesiis gallicis confessionem belgicam unitatis testificandae causa subcribendam proponeret. Quae res probantur Actis synodi emdanae, cujus tamen catalogus articuli 50, ita restituendus videtur: „In *Emden:* Christ. Benecanius, Cornelius Retius; zu *Wesell:* Petrus Rickius, Carolus Niellius (vel Neellius); zu *Cöln:* Adrianus von Königslohe, Joh. Regius aus Achen, Joh. Christiani und Johannes Heicklum; zu *Frankfurt:* der her Baldin und St. Bastianus Mathe; zu *Heidelberg:* Petrus Dathenus, Joannes Taffinus; zu *Frankendal:* Casp. von der Heiden, Petrus Antoni; zu *Schoenhoven:* Franciscus Junius; zu *St. Lambert:* Nicolaus Schauvbrecher.“ Huic Richterianae lectionis emendationi testimonium est articulus XXXIX. synodus emdanae. Quod ecclesiae coloniensis *quatuor* nominantur viri, qui Domino de St. Adelgundo historias persecutionum scribant ecclessiarum reformatarum, eo fit, quod aquisgranenses christiani Adrianus et Regius pro ecclesia persecuta aquisgranensi electi videntur. Conf. Richter KO. II. p. 342.





